This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lc
47
30

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Le 47.30

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND

Given in 1858 by STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), for "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

ALPHONSE
PICARD & FILS
EDITEURS
RUE BONAPARTE
82
PARIS VIe ARROND.
LIBRAIRIE
ANCIENNE
D'OCCASION
COMMISSION
LIVRES NEUFS
FRANÇAIS
ETRANGERS

DE

MAMERTI CLAUDIANI

SCRIPTIS ET PHILOSOPHIA DISSERTATIO.

DE

MAMERTI CLAUDIANI

SCRIPTIS ET PHILOSOPHIA

DISSERTATIO.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

Alexandre
A.-C. GERMAIN,

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS, IN EADEM FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI
JAM LICENTIATUS.

MONSPELII,
EX TYPIS BOEHM ET SOCIORUM.
MDCCCXL.

Le 47.30

[illegible] COLLEGE
JUN 8 1909
LIBRARY

Salisbury fund

DE

MAMERTI CLAUDIANI

SCRIPTIS ET PHILOSOPHIA

DISSERTATIO.

—

Mamerti Claudiani, insignis olim apud Gallos philosophi, scripta aggredienti mihi nec inutile prorsus, nec inopportunum visum est pauca de ejusdem vita et ingenio præmonere.

Claudianus, vir, judice Sidonio, providus, prudens, doctus, eloquens, acer, et hominum ævi, loci, populi sui ingeniosissimus [1], S. Mamerti, Viennensis archiepiscopi, frater erat. Ubi et quo anno natus, quum nulla de his aut apud coævos aut apud posteros mentio sit, non satis compertum habemus. Verisimillimum tamen videtur illius ortum, si non ad Viennensem, at saltem ad australem Galliam, et ad primos quinti post Christum seculi annos esse referendum.

[1] Sidon. Epist. IV, 11.

Illud sane constat, Claudianum scilicet liberaliter et egregie fuisse institutum. Imo ex epitaphio, quod de amico scripsit Sidonius, colligendum eumdem ab adolescentia monasticæ militiæ dedisse nomen, claustralesque inter latebras omnes fere suæ ætatis artes et doctrinas ita didicisse, ut eximius catholicæ fidei defensor, et gravissimus hæreseos hostis videretur [1].

His igitur informatus studiis, sacerdotium, auspice fratre, iniit Claudianus [2]. Factus inde quasi episcopatus particeps, pontificalem, omissa dignitate, laborem sumpsit [3], quo diligentissime functus, omnium admirationem et vota sibi conciliavit. Itaque san-

[1] Triplex bibliotheca quo magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit;
Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit institutione :
Orator, dialecticus, poeta,
Tractator, geometra musicusque.

Sidon. ibid.

[2] « Claudianus, Viennensis ecclesiæ presbyter. »... Gennad. Massiliens. de illustr. Eccles. scriptor. c. 53.

[3] « Germani decus et dolor Mamerti,
Mirantum unica gemma episcoporum....
Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans episcopali.
Nam de pontificis tenore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem. »

Sidon. Epist. IV, 11.

Hinc episcopus et ipse dictus, sed perperam, a Canisio et a Petro Mosellano in edit. Basil. 1520, nec non in Monumentis SS. Patrum orthodoxographis.

ctissimus præsul Mamertus, quem, teste Sidonio, diligebat ut filium, quum tanquam patrem veneraretur, habebat in eo consiliarium in judiciis, vicarium in ecclesiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis, in lectionibus comitem, in expositionibus interpretem, in itineribus contubernalem[1]. Pontificalia autem munera sacerdotalibus curis temperans, sese germanum Christi discipulum semper et ubique exhibebat Claudianus. Conditionis nempe humanæ per omnia memor, clericos opere, sermone populares, exhortatione mœrentes, destitutos solatio, captivos pretio, jejunos cibo, nudos operimento consolabatur[2].

Sed, prælibatis quæ ad tanti viri mores pertinent, ejusdem ingenium et studia jam nunc persequamur. Nil mirum si, religiosissima mente imbutus, religionem adeo strenue sectatus est, ut philosophiæ theologiam conciliare in animo usque habuerit. Multiplici enim ornatus doctrina, insignis illius quasi transfigurationis indicio esse potest, qua tunc temporis romana societas, a diis ad Deum, ab Jove ad Christum conversa, profana demum omnia abolevit, victricemque ac post longa certamina triumphantem catholicam fidem professa est. Hunc apud Sidonium reperimus indesinenter, salva religione, philosophantem, et, licet crinem barbamque non pasceret, pallium

[1] Sidon. ibid.

[2] Sidon. ibid.

DE

MAMERTI CLAUDIANI

SCRIPTIS ET PHILOSOPHIA DISSERTATIO.

Secundus, compositi, in præsentiarum rusticabuntur. Quid multis? Arbitro me, in utroque genere dicendi, nec Athenæ sic atticæ, nec Musæ sic musicæ judicabuntur[1]. Et quasi tot et tantis laudibus cumulum vellet afferre, oculis suis dubitat an quempiam deinceps parem sit conspicaturus[2].

Nonne ad istas verborum vanas et fere sesquipedales ampullas respondere potuisset Claudianus, quæ idem Sidonius Tonantio rescripsit, quum ab eo plerisque poetarum illustrissimis, audaci quadam collatione, anteferretur? « Crederem tibi, si non, ut multum sapis, ita quoque multum me amares. Hinc est quod de laudibus meis caritas tua mentiri potest[3].»

Sed, omissa longiori qualibet super his disputatione, Claudianum amicitiæ plurimum debere constat. Præter Sidonium, quem vocat specialem atque intimum suum, et cujus nomine ac patrocinio quos scripsit libellos nobilitare voluit[4], non alienum a vero videtur litterarium cum Salviano commercium hunc habuisse, nec sterile prorsus, utpote qui a præstantissimo illo Massiliensi doctore amissum nunc quemdam in *Ecclesiastem* commentarium acceperit[5]. Nec minus philosophum nostrum inter et rhetorem

[1] Sidon. Epist. IV, 3.

[2] Sidon. Epist. IV, 11.

[3] Sidon. Epist. IX, 13.

[4] Epist. Claudian. ad Sidon.; inter Epist. Sidon. IV, 2.

[5] Labb. Script. Biblioth. I, 322.—Tillemont. Hist. Eccles. XVI, 121.

Sapaudum arctissimam morum ac studiorum affinitatem, tum ex ea quæ exstat Claudiani epistola, tum ex iis quibus Viennensem illum amicum laudibus ornat, fuisse percipimus.

Sed hæc de Claudiani vita sufficiant. Neque enim esset quicquam aliud quod pro certo haberemus, quum, ut nullo modo patet quo natus, ita quo mortuus sit tempore ambiguum. Si tamen conjecturæ locus est, circa annum Christi CCCCLXXIII vel CCCCLXXIV obiisse videtur [1], tum quum Viennam ultimum petens a suscepto episcopatu Sidonius jam dictum carmen super exanimi fratris ossa conscripsit [2].

Subtilissimus licet Arvernorum præsul supra modum, de more, amici memoriam extulerit, nemini dubium quin hanc laudum seriem aliqua saltem ex parte, sive doctrina, sive scriptis, jure consecutus sit Claudianus. Nec immerito forsan hunc magistri partes in Ecclesia Viennensi explevisse crediderimus, quum in Sidonio psalmorum modulator et phonascus nobis appareat [3]. Hinc minus certa Gennadii

[1] Ante fratrem natu majorem S. Mamertum, qui anno CCCCLXXVII obiisse fertur.

[2] Sidon. Epist. IV, 11.

[3] « Psalmorum hic modulator et phonascus,
Ante altaria, fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes.
Hic solemnibus annuis paravit
Quæ, quo tempore, lecta convenirent. »
Sidon. ibid. in epitaph.

Massiliensis auctoritate innixus[1], lectionarium, seu, Musæi instar, breviarium quoddam Claudianum Will. Caveus collegisse asserit. Hymnos vel hymnum eum elegantius condidisse constat[2]. Sed quinam sint aut quisnam sit incertum, quum Passionis carmen *Pange lingua* ipsi a doctissimo Jacob. Sirmondo[3], adstipulantibus veteri glossatore Sidonii et quodam Gennadii codice manuscripto[4], assignatum, ad Pictaviensem Fortunatum non ineptius ab aliis referatur[5]. Nec clarius quasnam Rogationum diebus, a

[1] Gennad. Vir. illustr., c. 83.

[2] « Jam vero de hymno tuo si percunctere quid sentiam ; commaticus est, copiosus, dulcis, elatus, et quoslibet lyricos dithyrambos amœnitate poetica et historica veritate supereminet. Idque tuum in illo peculiare, quod, servatis metrorum pedibus, pedum syllabis syllabarumque naturis, intra spatii sui terminum verba ditia versus pauper includit ; nec arctati carminis brevitas longitudinem phalerati sermonis eliminat. Ita tibi facile factu est minutis trochæis minutioribusque pyrrhichiis non solum molossicas anapæsticasque ternarias, sed epitritorum etiam pæonumque quaternas supervenire juncturas. Excrescit amplitudo proloquii angustias regulares, et tanquam parvo auro grandis gemma vix capitur : emicatque ut equi potentis animositas, cui frementi, si inter tesqua vel confraga frenorum lege teneatur, intelligis non tam cursum deesse quam campum. » Sidon. Epist. IV, 3.

[3] Vide Jacob. Sirmondi notas ad Sidonium, pag. 43.

[4] Gennad. Vir. illustr., c. 83, not. p. 37, juxta cod. manusc. cœnobii S. Michaelis de Tumba. Hamburg. 1718.

[5] Sic et Sidonio eumdem hunc hymnum adscribit chroni-

Mamerto fratre ante Ascensionis dominicæ festum institutis vel ordinatis, preces composuerit indicare liceat[1].

Quod si super his dubii hæremus, non item sane de illo contra *varios errores* seu *vanos poetas* carmine[2], cujus olim ad Claudianum relata, jam nunc ad Paulinum Nolensem profertur antiquitas; nec de hoc alio, *Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi*, Claudiano Alexandrino et Claudiano Viennensi alternis vicibus adscripto, sed legitimo auctori Damaso papæ rectius adscribendo[3]. Neque meliori jure Claudiano nostro attributum reperimus *de Collatione* vel *Concordantia veteris et novi Testamenti* poema[4], cui in nonnullis manuscriptis codicibus Flavii Præsidii nomen inscribitur, et quod, ab eruditissimis quibusdam, Sedulio vel Turcio Rufio Asterio assignatur. Quæ tamen, quamvis supposita, ipsa suppositione Claudianum nostrum poetæ simul et theologi fama inclaruisse argumento sunt.

con lemovicense; ex qua nova auctoritate Fortunato, cujus inter opuscula exstat, antiquior facile videri possit.

[1] Sidon. Epist. V, 14 et VII, I. — Conf. Greg. Turon. Hist. II, 34; Avit. de Rogat. homil., t. II; Op. Sirmond., p. 136; Acta SS. Boll. maii II, 631, et Monum. SS. Patrum orthodox.

[2] Biblioth. Patr. VI, 1074.

[3] S. Damasi opusc. et gest. Romæ 1754; Carm. II, p. 223.

[4] Biblioth. Patr. VIII, 701.

Neglectis vero spuriis, si ad genuina veniamus, duæ exstant Claudiani, una ad Sapaudum[1], altera ad Sidonium[2] epistolæ : quarum in illa, bonarum artium jam inde a proavorum seculis jacturam questus, doctissimum laudat Viennensium rhetorem, qui mortua apud Gallos litterarum studia venerabili professione, acri ingenio, profluente eloquio resuscitaverat; in hac brevius dolet amici revisendi potestatem multimodis et miseris perinde causis sibi intercludi, præsertim quum de antea dedicatis libellis nondum sibi rescripsisset.

Cuilibet autem attendenti quinam sint illi, de quibus hic mentio est, libelli, in promptu aderit insigne *de Statu* vel *de Substantia animæ* opus. Hoc enim præcipue innititur Claudiani fama; hinc tum apud coævos, tum apud posteros claruit, hinc romano longa post secula superstes imperio vivet. Quandiu studiis apud Gallos honor, præstantissimus de Statu animæ liber, in philosophica illa quæ dicitur animi humani historia, singularem locum obtinebit; nec immerito sane, quippe qui nostram olim non minus gloriam, quam litterarum ac scientiæ profectus gravissimo quodam indicio demonstret. «Deus magne! exclamat Sidonius, quantum opus illud est, materia clausum, declamatione conspicuum, propositione obstructum, disputatione reseratum, et quan-

[1] Baluz. Miscell. VI, 535 et pr. 12.

[2] Sidon. Epist. IV, 2.

quam propter hamata syllogismorum puncta tribulosum, vernantis tamen eloquii flore mellitum! Nova ibi verba, quia vetusta, quibusque collatus merito etiam antiquarum litterarum stylus antiquaretur; quodque pretiosius, tota illa dictio sic cæsuratim succincta, quod profluens; quam rebus amplam strictamque sententiis, sentias plus docere quam dicere. O liber multifariam pollens! O eloquium non exilis, sed subtilis ingenii [1]! »

Quid sit igitur tam egregie laudatum hoc opus, quem finem habeat, quove spectet, quam argumentorum seriem prosequatur, quas denique in historia philosophiæ partes sustineat, jam nobis investigandum.

Quid sit unicuique facile patebit, quum ex ipsius operis attentiori lectione, tum ex iis Gennadii: « Claudianus, inquit, Viennensis ecclesiæ presbyter, vir ad loquendum artifex, et ad disputandum subtilis, composuit tres quasi de Statu vel de Substantia animæ libros, in quibus agit intentione tota, quatenus ostendat aliquid esse incorporeum præter Deum [2]. »

[1] Sidon. Epist. IV, 3. — Nec solus vero de Statu animæ librum amicus judex legit Sidonius : ejusdem lectionis novitate lætatum excitatumque maturitate fuisse Nymphidium et ipse testatur. Epist. V, 2.

[2] Gennad. Massiliens. presbyt. de illustr. Eccles. scriptor. 83. Conf. Honor. August. et Adon. chronic.

Faustus scilicet, tunc, ut verisimile est, Lirinensis abbas, et nondum Reiensis episcopus, cujus scientia ea ætate apud Gallos celebrabatur, libellum, vel potius in modum libelli epistolam ediderat, in qua, immensum et incorporeum non satis determinans, Deum unum videri incorporeum, omnesque, sine ulla humanæ aut angelicæ animæ exceptione, creaturas corporeas esse dicebat. Quæ, novarum rerum more, latius diffusa, in manus Claudiani forte incidit, sublato de industria auctoris nomine : quodquidem perspicaci ingenio detexerit necne, incertum, etsi non absurdius existimare liceat, illum ignorantiam simulasse; suam nimirum Faustus sententiam minime suppresserat, quam adspersit etiam epistolæ ad Paulinum, et huic alii, quem contra Arianos scripsit, de Sancto Spiritu libello. Quanquam, peculiari veritatis amore instinctus, eam defendere statim in animo habuit Claudianus. Attamen circa hunc laborem, suis ipse viribus diffidens, etiam tum hærebat, quum amicorum, et in primis Sidonii, precibus coactus, operi manum admovere tandem decrevit. Novum igitur certamen fortiter aggressus, tres *de Statu animæ* libros conscripsit, eosque Sidonio, patricio tunc viro, dedicavit[1]. Cujus dedicationis

[1] Ab anno MCCCCLXXXII insigne *de Statu animæ* Claudiani opus Venetiis impressum reperimus; inde in Orthodoxographis Basil., tum in Biblioth. Patr. Paris. et Lugdun. collectum. Exstant præterea quædam aliæ editiones, quarum

certum præfinire tempus etsi difficillimum videatur, id nihilominus anno CCCCLXXI anterius reputari possit, quum postea patriciatum pro ep iscopatu exuerit Sidonius.

Sed antequam Claudiani de anima humana philosophicum systema evolvamus, Fausti argumenta attingere operæ pretium est, ut studiosus quisque eam, quæ agitur, controversiam mentis prospectu quasi metiri valeat. Ex quo et disputandis ordo addetur, et disputatis præfulgens veritas clarius elucebit.

Hæc sunt igitur præcipua Fausti argumenta: Nonnulli eruditissimi Patrum, inquit, alia asserunt esse invisibilia, alia vero incorporea; quicquid creatum est materiam videri, et factori suo comprehensibile, et corporeum esse definiunt. Animarum enim et an-

una Venetiis a. MD data, curante Thadeo Ugoleto Parmensi, altera Basileæ a. MDXX, auctore Petro Mosellano, in cujus titulo Claudianus Ecdicius Mamertus, ex veteri codice, idemque Viennensis episcopus, sed perperam, appellatur. Pulmannus deinceps a. MDCVII et MDCX, Antuerpiæ Claudiani opera cum notis Delrii edidit. Similiter et a. MDCXII, Casp. Barthius Hanoviæ eadem commentariis auxit. Postremum a. MDCLV Cygneæ cum Fausti de Creaturis libello, nec non Andr. Schotti notis et Casp. Barthii locupletissimis animadversionibus Claudiani *de Statu animæ* liber editus est. Sed recensenti cuique patebit omnes ad unum editores minime ultra textus illustrationem laborasse, et ad id potius intendisse, ut moram et obhærendi causas lectori eriperent, quam ut auctoris ipsius sententiam aut philosophandi genus explicarent.

gelorum naturam volunt esse corpoream, pro eo quod et initio circumscribantur et spatio. Nam in quodam S. Hieronymi tractatu legimus : « Globos siderum corporatos esse spiritus arbitrantur. » Et item : « Si angeli, cœlestia corpora, etiam ad comparationem Dei immunda esse dicuntur, quid, putas, homo æstimandus est? » Sed inter hæc ideo tu animam negas esse corpoream, quia, juxta aliquorum opinionem, nec localis sit, nec qualitate aut quantitate subsistat, quod de sola Dei majestate credi debere manifestum est. Legimus autem in clarissimo quodam Patrum tractatu : « Ingredi et implere omnia soli est possibile Trinitati : quæ sic universæ intellectualis naturæ efficitur penetratrix, ut non solum circumplecti eam atque ambire, sed etiam illabi ei et velut incorporea corpori possit infundi. Licet enim pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aer ille subtilis ; tamen incorporeæ nullatenus existimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus quo subsistunt, licet incomparabiliter tenuius quam nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam dicentis : *Et corpora cœlestia et corpora terrestria* [1]. » Quibus pro manifesto colligitur nihil esse incorporeum nisi Deum solum. Quæ quum ita sint, opponis et objicis mihi ideo animam non esse corpoream, quia, ut dictum

[1] Cassian. Collat. 7, 13. Conf. B. Pauli Epist. ad Cor. II.

est, nec localis sit, nec qualitate aut quantitate subsistat. Si eam autem demonstraverimus quantitate determinari locove includi, consequenter eam etiam corpore contineri nec ipse jam dubites. Quomodo non localis est, quæ inserta membris et alligata visceribus, solis motibus vaga, conditione substantiæ tenetur inclusa? Quod si localem non esse animam ideo asserendum putes, quod per diversa sensibus evagetur et cogitationibus deferatur, primum intelligendum est aliud esse animæ statum, aliud eum qui de anima nascitur cogitationis affectum. Imaginari sibi aliqua potest; complecti simul omnia non potest. Ecce per hæc præsentis temporis momenta vos cogito et animo reminiscente vos video; et tamen quid geratis, et utrum quieti an lectioni vel orationi vacetis ignoro. Sed hoc ideo evenit, quia ad vos cordis affectu, non ipsa substantiæ meæ veritate pervenio. Neque enim in suis motibus, quos nunc optimos, nunc pessimos esse sentimus, animæ nostræ natura consistit. Nam si per cogitationes suas constare credenda est, cur iisdem interdum evanescentibus atque pereuntibus, ipsa in sui vigore atque alacritate perdurat? Quantæ ergo in nobis frequentissimæ cogitationes et curæ etiam salubriter moriuntur, et vitam magis libertatis interioris operantur! Si ipsis anima constaret, absque dubio pereuntibus ipsis superesse non posset. Unde hoc magis ipsa in conscientiis nostris ratio loquitur quod unaquæque anima aut multiplicia cogitata, rerum causis intra se conceptis,

parturiat, aut quædam officia ac ministeria, diversis necessitatibus occupata, dispergat, ipsa vero in conclavi corporis, semel de eo exitura, requiescat. Quamobrem localem esse illam ut de uno sufficiens proferamus exemplum, nonne anima Lazari, manente vita, intra corpus fuit, recedente autem vita, e corporis habitaculo recessit, et iterum intra exanime refusa corpus, illuc unde abierat evocata remeavit? Tunc eam tanquam et hospitii habitatione depositam, et rursum intra hospitium unde abierat restitutam vides, et localem esse negas. Sed quid ego hæc de corruptibili homine loquar, cum ille, cujus caro non vidit corruptionem, immaculatam quidem animam possederit, sed localem, quam utique intra se habuit quando affixus erat in patibulo, extra se procul dubio emisit quando jacuit in sepulcro? Quomodo non est localis quam continet caro, vita conjungit, mors separat? Quod si, ut dicis, localem necessitatem animarum natura non recipit, non desunt ergo et de regione Paradisi illæ quæ carcere clauduntur Inferni. Dic, quæso, si locales non sunt, quomodo peccatores a cœtibus consortiisque justorum vastum illud chaos tristi interjectione discriminat, ut neque hinc illo possint accedere, neque inde huc transmeare? Jam illud manifestum est, ut quantitate circumscribantur quæ spatiis continentur. Si agnovisti animam localem, concede corpoream. Dic mihi, anne ipsa anima gloriosi Redemptoris reliquit mundum quando conscendit ad cœlum? Ego autem nec angelos quidem

locales esse dubitaverim, quos certum est nunc in cœlestibus contineri, nunc per aeris vacua ferri, nunc ad terrena dimitti, quos sermo divinus ascendentes et descendentes in Patriarchæ visione descripsit. Qui utique si locales non essent et ubique essent, adesse atque discedere ascensu descensuque non possent. Beatissimus ipse Gabriel, qui se ante Deum stare testatur, quum cœlorum dominum Mariæ visceribus infundendum nuntiaret, sine dubio cœlo deerat, maria non supervolabat, vacua atque diffusa vasti aeris non implebat, sed illum tantummodo locum in quo erat occupabat. Quæ quum ita sint, quicquid locum occupat corpus est; et nescio quomodo locali lege non teneatur, qui de loco ad locum mittitur, et, velut corpus, motu accessuque transfertur, mole descendit, mobilitate discurrit, it, redit, ascendit. Vel ille, credo, localis est, qui non jam in cœlo est, ex quo est ejectus e cœlo. Nec se solum localem esse prodidit, qui secum tertiam partem stellarum ex alto proturbatus abstraxit. Dic mihi, si corpus non habet, in illa dejectione quid decidit? Quid illi negas corporalem naturam, cujus negare non audes ruinam? Ubi, nisi in corpore, sentiet ignem illum qui paratus est Diabolo et angelis ejus? Si secum aliquid corporale de illa cœlesti arce non detulit, alienum, ut video, corpus ad tormenta portavit. Corpus itaque esse etiam ex tua assertione cognosce. Corpus est quod inficitur, quod maculatur, quod quacumque ex accedenti adjectione vitiatur.

Corpus est quod depellitur actione, quantitate circumscribitur, qualitate mutatur, dolore conficitur. Quæ quum ita se habeant, qui corporeum nolunt animum vide in quantum se crimen immergant! jam primum quum auctor universitatis Deus omnia in numero et pondere fecisse referatur[1].

Hæc Faustus; nec novo quidem philosophandi genere, quum a primis Christianorum seculis eamdem plurimi Ecclesiæ doctores quæstionem agitaverint, et eorum nonnulli in hanc Fausti sententiam iisdem fere argumentis fuerint deducti. Quos inter, ut aliqua afferamus exempla, Tertullianus animas humanas, licet immortales, suo tamen quodam modo corporeas esse asserit. «Dolet, inquit, apud inferos anima cujusdam, et punitur in flamma, et cruciatur in lingua, et de digito animæ felicioris implorat solatium roris.... Si non haberet anima corpus, non caperet imago animæ imaginem corporis, nec mentiretur de corporalibus membris Scriptura, si non erant. Quid est autem illud quod ad inferna transfertur post divortium corporis, quod detinetur illic, quod in diem judicii reservatur, ad quod et Christus moriendo descendit?.... Nihil, si non corpus. Incorporalitas enim ab omni genere custodiæ libera est, immunis a pœna et a fovella. Per quod punitur aut fovetur, hoc erit corpus..... Incorporalitas nihil pa-

[1] Fausti Reiensis de Creaturis liber, ap. Casp. Barth. Cygn. 1655. Conf. H. Canis. et Bibl. Patr.

titur, non habens per quod pati possit; aut, si habet, hoc erit corpus [1]. »

Nec mirum sane ita de anima humana sensisse Tertullianum, quum non substantiis modo spiritualibus, sed ipsi quoque Deo corpus, non visibile quidem, tamen nihilominus verum tribuat doctissimus ille fidei christianæ assertor [2]. Hæc nempe alias : « Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est ? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed et si invisibilia illa, quæcumque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt, quanto magis quod ex ipsius substantia missum est sine substantia non erit [3] ! »

[1] Tertull. de anima. V—VII.

[2] Sic et quamdam Deo figuram Lactantius assignat.

[3] Tertull. advers. Praxeam cap. VII ; Conf. Augustin. lib. X de Genesi, et epist. ad Quodvultdeum et ad Optatum.—Per hunc errorem lapsus esse videtur Tertullianus, præterquam quod vividiori mentis impetu rapiebatur, Platonicæ impulsus odio philosophiæ, ex qua æonas Gnosticorum ortas esse arbitrabatur (de Præscript., cap. VII.), Græcorum ideo philosophos hæreticorum fuisse patriarchas pronuntians (advers. Hermogen., c. VIII). Æonum autem invisibilium et intellectualium dogma Platonicæ Tertullianum philosophiæ retulisse non absurdum, eamque inde temerariam interpretem divinæ naturæ et dispositionis vocasse. Nam opinio Platonicorum hæc erat, ideas esse prorsus intellectuales. Itaque quum his erroribus obluctaretur Tertullianus, judicio minus quam ingenio in-

Nec unus in his erravit Tertullianus. Arnobius Platoni alludens : « Homo prudentiæ non pravæ, inquit, et examinis judiciique perpensi, rem inenodabilem suscipit, ut, quum animas dicat immortales, perpetuas et corporali soliditate privatas, puniri eas dicat tamen, et doloris afficiat sensu. Quis autem hominum non videt, quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere[1] ? »

Haud aliter Tatianus animam non esse simplicem, sed ex multis, quum sit corporea, partibus constare contendebat, eo quod nec ipsa sine corpore potest apparere, neque caro sine anima resurgit[2].

Eodem fere modo, ex his quæ de immortalitate animæ contra hæreses disputat Ireneus colligi potest fortissimum Lugdunensium antistitem animas corporeas, utpote quæ figura circumscriptæ sint, existimasse. Eas enim corporibus solutas figuram hominis habere ac conservare, ut etiam cognoscantur, quemadmodum aqua in vas missa ipsius vasis habet formam, statuere non dubitat[3].

structus, facile fieri potuit, ut, studio contradicendi, istud Platonicis opponeret, Deum scilicet et quemlibet Spiritum esse corpus.

[1] Arnob. Adv. Gentes, lib. II. — Idem Arnobius iterum in eodem libro posse animas ad ultimum vi tormentorum prorsus perire asserit et ad nihilum redigi, quippe quæ mediæ sint divinitatem inter et corpora seu creaturas.

[2] Jacob. Bruckeri, Hist. critic. philosophiæ, III, 388.

[3] Iren. contr. Hæres., lib. II, c. 34 et c. 19.

Sic et alius ille fidei strenuus propugnator Hilarius nihil incorporeum fuisse creatum affirmare ausus : « In dictis Dei, inquit, veritas est, et rerum creandarum efficientia omnis in verbo est. Itaque nec quod spopondit ambiguum est, nec inefficax quod locutus est. Nihil est quod non in substantia sua et creatione corporeum sit; et omnium sive in cœlo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium elementa formata sunt. Nam et animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exsulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur; quia omne quod creatum est in aliquo sit necesse est[1]. »

Non nova igitur ea de animæ corporalitate opinio. Huic vero, ut ex iis quæ attulimus testimoniis patet, jam dudum, veritate duce, ratio et scientia obluctabantur. Sic et ipse Tertullianus, etsi corpoream velit animam, ei tamen nihilominus propriæ qualitatis et sui generis corpus largitur. Sic et Origenes, incorporalitatem inter et corporalitatem medium quiddam tenens, miratur tantarum rerum, tam difficilium tamque subtilium assertiones animam recipere posse. « Unde, inquit, ei virtus memoriæ, et unde ei rerum invisibilium contemplatio? Unde certe incorporalium intellectus rerum corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationesque rimatur? Unde etiam

[1] Vid. hæc verba Hilar. Canon. V in Matth., cap. VI ad illud : *Nonne anima pluris est quam esca ?* Conf. Hilar. de animæ creatione, ad psalm. XXIX.

divina dogmata, quæ manifeste incorporea sunt, sentire ac intelligere potest[1] ? »

[1] Origen. de Principiis I, 1. Conf. ibid. 6 : « Solius Dei, id est, Patris et Filii et Spiritus sancti naturæ id proprium est, ut sine materiali substantia, et absque ulla corporeæ adjectionis societate, intelligatur subsistere. »—Et in libro de Principiis II, 2 : «Si posset quis ostendere rationem qua possibile esset eas (animas) omnimodo carere corporibus, consequens videbitur quod natura corporea ex nihilo per intervalla temporum procreata, sicut quum non esset effecta est, ita et esse desineret quum usus ejus ministerii præterisset. Si vero impossibile est hoc ullo modo affirmari, id est quod vivere præter corpus possit ulla alia natura præter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, necessitas consequentiæ ac rationis coarctat intelligi principaliter quidem creatas esse rationales naturas ; materialem vero substantiam opinione quidem et intellectu solum separari ab eis, et pro ipsis vel post ipsas effectam videri, sed nunquam sine ipsa eas vel vixisse vel vivere : solius namque Trinitatis incorporea vita existere recte putabitur. Ut ergo superius diximus, materialis ista substantia hujus mundi, habens naturam quæ ex omnibus ad omnia transformatur, quum ad inferiores quosque trahitur, in crassiorem corporis statum solidioremque formatur, ita ut visibiles istas mundi species variasque distinguat : quum vero perfectioribus ministrat et beatioribus, in fulgore cœlestium corporum micat, et spiritalis corporis indumentis vel angelos Dei, vel filios resurrectionis exornat. »

Inde autem non sequitur Origenem naturam animæ inter corpora posuisse. Nam in quodam de resurrectione fragmento, fatetur firma non deesse argumenta, quibus animæ substantiam esse incorpoream pronuntiare cogamur (ἐὰν ἀναγκασθῶμεν ὑπὸ τῶν ἀποδείξεων τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς ἀσώματον εἶναι καὶ ταύτην

Is fere apud Paganos olim fuerat animi humani progressus. Vetus enim opinio erat jam usque ab antiquis philosophiæ nascentis ducta temporibus, animam videlicet corpoream esse; sed quodam ad incorporalitatem ascensu paulatim immutata est, quum aliis eadem anima ἄνεμος, aer aut flatus; aliis ignis, vel, ut aiunt, πνεῦμά τι ἔνθερμον sit habita; atque hoc in primis notandum videtur, quod, si qui apud Græcos post Thaleta sapientiam professi sunt, ii omnibus viribus atque opibus id elaboraverunt, ut, subtiliori duce mentis audacia, materiam quasi defæcarent attenuarentque. Haud aliam Ecclesia christiana viam ingressa, hanc animæ corporeæ opinio-

ἀποφήνασθαι. Ex libro S. Methodii de Resurrectione ap. Phot. Biblioth. cod. CCXXIV). Id solum conficitur Origenem, Neo-Platonicos juxta, putasse animas nunquam corporibus omnino nudari, sed præter crassum hoc corpus quo in hac vita induuntur, certo cuidam connexas esse aerio corpori, quod eas ubique sequitur, quod servant etiam deposito crassiori, quod denique vocatur a Plotino et Porphyrio spirituale et interius animæ indumentum, idemque postea a Philopono σῶμα οὐράνιον, αἰθέριον vel αὐγοειδές, sicut jam a Proclo et Hierocle πνευματικόν τι ὄχημα τῆς λογικῆς ψυχῆς. (Conf. Origen. contr. Celsum, VII, 5 et 32, et Clement. Alexandr. Stromat., lib. VI, p. 648). Meram igitur corporalitatem incorporalitatemve Origenes non recipit, inter utramque medius, incorporalitati tamen propior, eam quippe demonstrationem accipiens de animæ rationalis natura, quod aliquam habeat cum Deo cognationem (πεῖσμα λαβὼν περὶ οὐσίας λογικῆς ψυχῆς, ὡς ἐχούσης τι συγγενὲς Θεῷ. Origen. Protreptic. ad martyr.)

*

nem, quam hominis infirmitati, nec non futuris post mortem pœnis ac præmiis magis consentaneam existimat, prius accipit, mox rejectura, quum ad meliores, Deo auspice, partes redierit. Quod desinente circiter seculo quarto, vel ineunte sequenti, accidisse reperimus. Tunc enim clarius inter utramque substantiam ponitur discrimen, atque incorporea animarum natura a Nemesio et ab Augustino quasi prædicatur. Ut autem, quemadmodum de corporalitate probatum est, ita de incorporalitate probetur, expressiora quædam afferre testimonia jam libet, quo major prædictis fides accedat.

In medium prior prodeat Augustinus, qui, in laudatissimo ad Hieronymum *de Origine animæ hominis* tractatu : « Incorpoream esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne verbi controversiam vel superfluo faciam, vel merito patiar, quoniam, *quum de re constat,* non est opus certare de nomine : si corpus est omnis substantia vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item, si eam solam incorpoream placet appellare naturam quæ summe incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro, si corpus non est nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet et breviore minorem, minusque sit in parte quam in toto, non

est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest, nec minor in minoribus et in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remissius, et in omnibus tota et in singulis tota est..... Quapropter, si anima corpus esse dicenda est, non est certe corpus quale terrenum est, nec quale humidum, aut aerium, aut ætherium. Omnia quippe talia majora sunt in majoribus locis et minora in minoribus, et nihil eorum in aliqua sui parte totum adest, sed, ut sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. Unde intelligitur anima, sive corpus, sive incorporea dicenda sit, propriam quamdam habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore substantia creatam, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus, cogitari, sed mente intelligi vitaque sentiri[1]. »

Huc usque Augustinus. Aliquot autem annis antequam illam de incorporalitate animæ declarationem, qua nec expressior ulla, nec illustrior esse potest, Augustinus ita profiteretur, eamdem non eodem modo quæstionem perpendens doctissimus

[1] S. Augustin. Oper. II, 584, epist. 166. Conf. ibid. II, 701, epist. 190 ad Optatum, ubi de anima pronuntiat *nec eam corpus esse, sed spiritum*. Conf. etiam dialog. *de Quantitate animæ* et *de Immortalitate animæ*.

Emesenus præsul Nemesius, discussis confutatisque veterum de anima humana philosophorum opinionibus, in probatissimo illo, qui περὶ φύσεως ἀνθρώπου nuncupatur, libro jam dixerat : Εἰ δὲ τὴν ψυχὴν ἀπεδειξάμην μήτε σῶμα οὖσαν, μήτε ἁρμονίαν, μήτε κρᾶσιν, μήτε ἄλλην τινὰ ποιότητα, δῆλον ἐκ τούτων ὡς οὐσία τίς ἐστιν ἀσώματος ἡ ψυχή[1].

Itaque tum in Asia, tum in Africa, in utraque Græcorum ac Romanorum ecclesia, incorporalitas animæ jam in professo erat apud doctores, quum britannica quadam obstinatione et pelagiano forsan studio instinctus, hanc sibi provinciam depoposcit Faustus, ut antiquum corporalitatis dogma, Patrum et sacræ Scripturæ auctoritate suffultum, resuscitaret. Tantam igitur litem demum componere quasi fuisset Galliæ reservatum, singulare non detrectans certamen Claudianus pugnæ se fortiter accinxit, et, suadentibus amicis, temerarium illum corporalitatis fautorem aggressus est.

Quibus ita præmissis, insigne Claudiani de Statu animæ opus, dignum quod clarissima inter christianæ philosophiæ monumenta haud mediocrem obtineat locum, jam nunc pervolvamus.

Prædicto *de Statu* seu *de Natura animæ* operi brevior quædam adest præfatio, in qua sapientissimus auctor, suos Sidonio libellos dedicaturus, innuit semet, in veritatis gratiam, atque ut doctissimi et

[1] Nemesii περὶ φύσεως ἀνθρώπου, lib. singularis, cap. 2 fin.

amantissimi patricii nonnullorumque aliorum cederet peritiæ, vel amicitiæ crederet, hunc suscepisse laborem. « Scripsi, inquit, pauca hæc veluti quædam rationum semina, quæ etsi angustis emanantia venulis, in magnos tamen amnes longiore procursu exuberabunt. Fraudatus temporis, et occupatus animi, non satis habui, quantum ad negotii præeminentiam spectat, quam succinctim atque uti digito vel denotare vitanda, vel ostendere sequenda. » Ex illo cum Fausto certamine victor victusne cesserit Sidonius arbiter ferat sententiam.

Ut quisque autem lecturus argumentorum vel *styli* seriem percipere possit, operis divisionem ac methodum statim indicat Claudianus. « Primus liber in sui primordio breviter adstruit impassibilem divinitatem nulli prorsus affectui subjacere. Post, de animæ statu varium cum adversario luctamen alternat. Abhinc itidem, ad erudiendum in ea quæ sunt obscuriora lectorem, quippiam ex geometricis et arithmeticis, atque etiam ex dialecticis, et nonnullis, prout interfuit usui, philosophumenon regulis, modeste ac moderate, et quam potuit parciter, prælibavit, habita identidem cum adversa parte congressione.

« Secundus post principium de mensura, numero et pondere non otiose et non infructuose dissertat; uti, si cognitor adsit intentus, sub adminiculo pietatis, per differentium creaturarum gradus adusque nonnullam creatricis omnium Trinitatis, si non jam felicitatem contemplandæ, certe robustius credendæ

perveniat firmitatem. Posthinc totus usque ad metam sui liber testibus utitur.

« Tertius aliquantulum in sui primordia argumentatur. Post, saucios ex adversa acie palantes insequitur. Demum vero nec aspernatur pacem, nec conflictum metuit adversantis ignoti. »

Hoc habet Claudianus propositum. Ut aggressionis, ita et refutationis semitheologicum genus. Ut sacræ simul Scripturæ ac Patrum auctoritatem Faustus attulerat, ita utroque testimonio nititur Claudianus, sed antiquorum addito quodam philosophorum temperamento. Tractatum de Statu animæ pervolventi cuique nova societatis ac scientiæ forma haud dubie apparebit : ex certo enim argumentorum aut verborum delectu, peculiare theologiæ et philosophiæ jam indicat fœdus, adeo ut paganitatis ac christianitatis quasi vinculum deprehendatur.

Si tamen trium, quibus constat hic tractatus, librorum justiorem habeamus æstimationem, primus tantum vere philosophicus dici potest, quippe qui, nullius auctoritatis auxilio, solaque ratione duce, specialiter de re disserat. Hunc itaque specialiter cognoscere ac pertentare operæ pretium est. Non quod sane in duobus aliis animæ status omnino negligatur. Quum enim Claudianus rationis testimonium auctoritatis testimonio firmare decreverit, Græcos et Romanos philosophos, vetus et novum Testamentum, sanctos etiam Patres vicissim inducit, adeo ut, quemadmodum primus philosophicus, ita secundus liber

historicus jure dicatur. Tertius autem, in quo philosophiam theologiæ conciliare voluit auctor, circa hanc præsertim argumentorum seriem versatur, ut quamdam inter animæ incorporalitatis dogma et nonnullas christianæ religionis traditiones, Lazari videlicet resurrectionem, Gabrielisve ad virginem Mariam descensum, concordiam constituat.

Hunc ergo de Statu animæ tractatum ordinatim et concinniter scriptum fuisse patet, neque ea insuper partium dispositione tantum aut rerum convenientia, sed hoc quoque nomine laudandum, quod quis fuerit, quinto seculo, apud nostrates philosophicarum disquisitionum habitus, verius exhibeat. Quod quidem facile in aperto erit, si perlecta quæque, prout dissertata, gradatim prosequamur.

De anima humana peculiariter dicere quum in animo habeat Claudianus, nonnulla generaliter præmittit de arroganti multorum imperitia et pervicaci in defendendis perperam præsumptis opinionibus pertinacia. Vanos scilicet suæ ætatis philosophos obiter carpit, quos non aliis tantum ac sibimet, sed veritati etiam et catholicæ sanitati nocere declarat. Ejusmodi fere est auctor libelli, quem, incerto licet nomine, obvium nuper legerat. « Prima enim opusculi facies, de ingenito genitoque Deo sublimissimæ quæstionis vix foribus oberrans, non parum catholicam præ se ferebat sententiam. At ubi legendi progressu reliquum lectionis accessit, animadvertit quibusdam circumlocutionibus id impensius molientem opelli istius

auctorem, ut divinitas passibilis, et anima corpus esse crederetur. »

Unde quæstionem philosophicam in hac controversia theologicæ quæstionis appendicem quamdam fuisse liquet. Deus enim primum, tum anima humana, ad ejus imaginem facta, in scenam prodit. Itaque auctor ad philosophici erroris refutationem theologici erroris refutatione de industria præludens, impassibilem per se divinitatem nulli prorsus affectui subjacere initio probare conatur.

Sed priori ista disputatione posthabita, quam mire tamen rhetoricis coloribus et sophisticis argumentationibus auxit Claudianus, ad philosophica illico veniamus.

Eversis proinde Fausti de Deo assertionibus, statum animæ humanæ, hoc est imaginis divinæ, insignis ille Viennensis presbyter aggreditur, quippe qui spiritum vitæ incorporeum esse contra adversarium demonstrare studeat. Quæstionem ergo ab altiori instituens, his subtilius ratiocinatur : Causa, inquit, creandarum rerum bonitas creatoris est. Qui creare quum possit universa quæ velit, ut nihil exercuisset bonitatis si nihil creasset, ita semiplena quodammodo usus esset benignitate, si semiplenum aliquid condidisset. Mirum autem videatur defore aliquid si rosæ flosculus non existeret, et nihil defore si incorporea substantia non esset creata. Ne igitur non minimum aliquid, sed vel potissimum deesset, debuit incorporea creari substantia. Quod quidem

absque ulla creatoris injuria affirmari valeat, quum ab ipso Deo similitudo Dei natura dicatur humana. In corpore autem nulla esse potest similitudo divina. Incorporeum ergo erit quod Deo sit simile. Ut vero humanum animum ad similitudinem Dei fuisse factum, ita et incorporeum hunc esse constat [1].

Haud aliter a priori, nec semel, argumentatur, quum ad Deum omnia referre, et de suprema illa rerum causa ad incorpoream necessariis quibusdam gradibus animam descendere sibi propositum habeat. Eodem statim dicendi genere prosequitur : Omne incorporeum corporeo, et illocale locali, et insecabile secabili, et vivens non viventi in naturæ dignitate præponitur. Creator enimvero omnipotentissimus idemque optimus si substantiam omni corpore potiorem sibique similem non creavit, quam creari debuisse jam constitit, aut noluit, aut non potuit. Si voluit et non potuit, omnipotentia caruit : si potuit et noluit, invidit. Non autem potest vel omnipotentia non posse, vel bonitas invidere. Creare ergo incorporeum aliquid et potuit et voluit ; igitur et creavit. Nisi forte dicas fieri non debuisse quod ille potuit velle, qui non potuit velle nisi quod debuit facere. Quid mihi nunc creatum non esse contendas quod creari debuisse non dubitas ? Creari certe constat debuisse, quia quum creator incorporeus maximum bonum sit, et creatum incorporeum

[1] Claudian. de Stat. anim. I, 4.

magnum bonum sit, et creatum corpus aliquod bonum sit : ut creatum est corpus aliquod bonum, ita creari debuit incorporeum aliquod magnum bonum.

At fortassis adstruatur aut incorpoream creaturam bonum non esse, aut bonum creari non oportuisse, aut quod oportuerit fieri nequivisse.—Sed summum bonum incorporeus creator est, magnum bonum incorporea creatura. Oportuit igitur a summo bono creari magnum bonum. Et potuit omnipotens facere quod debuit bonus velle. Creavit ergo incorpoream substantiam, qui non facere non potuit quod fieri debuit. Nisi forsitan dicatur aliquid debuisse fieri quod ille non fecerit : et inde aliquid illum fecisse sequetur quod non debuerit.

Sed dicis : Si quid incorporeum creatum est, æquiparat ergo creatorem. Respondet Claudianus : Non est hominis anima æqualis Deo, sed similis, quantum scilicet mutabilis creatura immutabili creatori, vel *intellectualis* lux luci *intelligibili*. Aliud namque est veritas, aliud imago veritatis. Quemadmodum autem rei corporeæ nulla imago esse potest nisi corpus, ita nequaquam incorporea imago invenitur in corpore. Quod si vero Dei imago est humana anima, incorporea imago est. Si incorporea imago est, incorporea utique ipsa est [1].

At subjicis a nescio quibus, quorum tamen nobis notitiam subripis, sic doceri, ut alia dicant esse

[1] De Stat. anim. I, 5.

incorporea, alia invisibilia; et inde infers: si alia incorporea sunt, alia invisibilia; ergo incorporea non sunt invisibilia [1].

Ad hæc Fausti solerter detorta solertius respondet Claudianus corporea quæpiam invisibilia esse posse, incorporea vero, ut Deum et ejus imaginem animam, nisi invisibilia esse non posse. Vox enim, exempli gratia, non videtur, et corpus est. Visibilia sunt omnia quæ percipi quocunque sensu corporis possunt. Animus autem qui sentit in corpore, etsi per visibile quiddam sentit, invisibiliter sentit. Aliud enim est visus, aliud oculus; aliud aures, aliud auditus; nares aliud, aliud odoratus; et os aliud, aliud gustus; nec idem manus et tactus. Tactu scilicet calentia frigentiaque discernimus, ipsum vero tactum non tangimus; neque enim frigus illic aut calor est. Et gustu dulcia atque amara sentimus, sed gustum gustare non possumus; nam in illo vel amarum vel dulce nihil est. Naribus odores accipimus, olfactu tamen olfactum non capimus, quia nihil olet olfactus. Atque etiam auribus voces haurimus; sed, quum nihil sonet auditus, ipsum non audimus auditum. Coloratas oculis formas aspicimus: sed visum, quia nec coloratus nec formatus est, non videmus; etenim semper videremus si luceret visus, et audire-

[1] Non quidem hæc erat Fausti assertio; sed eam exprimit verbis ejus per vim quampiam Claudianus, si non satis felici loco, at saltem ingenii ostentandi gratia.

mus semper si sonaret auditus ; et perpetuo odoraremur si fragraret olfactus, et gustaremus perpetuo si saperet gustus; æternumque tangeremus si seipsum tangeret tactus. Aliud est ergo membrum per quod sentimus, et sensus aliud quo sentimus. Non igitur, juxta Fausti sententiam, illud erit invisibile quod incorporeum non erit, tanquam incorporeo visibile et corporeo invisibile esse sit proprium [1].

Ad id autem adductus Claudianus ut corporea quæque in homine visibilia, incorporea vero invisibilia esse concludat, eodem argumentorum tenore servato, elementa quibus et constare et moveri corpus tunc temporis credebatur, investigat. Nonnulla de his præfatus ad historiam rerum naturalium aut physicam potius quam ad ipsam philosophiam spectantia, animam protinus repetit, et quærit quibus elementis quove elemento fuerit formata. Elige nunc, ait, ex quo corporum genere anima sit, si corpus est anima. Ex aere, inquis, constat, aut saltem aeri similis est. Sed aer non est præcipuum elementum : ignis enim elementum elemento aeris, ut loco, ita etiam potentia præstat.

Quibus quum aliquantisper immoratus est, ignem præcipuum esse elementum Claudianus demonstrare nititur. Atque hæc, puerilis licet haberi possit, demonstratio, qualis ea ætate appareret scientia nihilominus indicio est. « Omnis aer, inquit, solis præ-

[1] De Stat. anim. I, 6.

sentia clarescit et tenebrescit absentia. Aer ignem patitur ut caleat; nec tamen ab aere aliquid patitur ignis ut frigeat. Aer quibuslibet vasculis includi et contineri potest, quum hoc prorsus igni non accidat. Est ergo ignis aere perspicua ratione præstantior. »

Postquam hæc obiter attigit, et quum jam in eo est ut contra Faustum animam probet ex aere non constare, argumentationem ita instituit Claudianus : Visus nobis ex igne est [1], qui sensus homini belluæque communis; sic tamen ut irrationales nonnullæ animantes acumine videndi homines præemineant. Si ergo visus ex igne est, et anima ex aere constat, pecudis oculus hominis animam substantiæ dignitate necessario superat [2]. Alterutrum nunc eligas oportet, aut deteriorem visu pecudis animam si aeriam, aut non aeriam si præstantiorem. Cernis quam facile indoctæ præsumptionis somnium evanuerit : præterquam quod innumera super hoc afferre promptissimum sit. Nempe si aeria dicitur anima, huic igitur tenebræ sunt illius corporei solis abscessus, et lux ejusdem solis adventus : falsumque erit quod

[1] Περὶ τοῦ πυρὸς ὅσον τὸ καίειν οὐκ ἔχει, conf. Platon. Tim. interpret. Vict. Cousin, p. 145., et Procli commentar. « Αὐτὴ ἡ ὄψις φῶς ἐστίν. »

[2] Infra Claudian. : « Si autem de aere est anima aut aeri similis, ergo arborem non negabis animatam, quia perspicuum est aeri similem inesse naturam. » De Stat. anim. I, 21. Conf. Sidon. Epist. VII, 14.

evangelista pronuntiat : « *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*[1] ; et illud quod propheta peccatorum ore loquitur : « *Justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis*[2]. »

Non solam igitur rationem, sed et Scripturam sacram in auxilium vocat Claudianus, et, utraque adstipulante, animam ex aere non constare concludit. Unde eamdem esse incorpoream statim declarat : præmature quidem, utpote qui tam gravem professurus sententiam, animam ex nullo alio constare elemento probare prius debuisset. Sed nullum aliud quam aera elementum constituendæ animæ assignaverat adversarius ; quem gradatim, et prout res est, refutare diligenter præfixo disputandi ordine studet.

Ex eo autem quod anima incorporea est sequiturne eam creatam non fuisse, aut jure Faustum dixisse « quicquid creatum est materiam videri, idcirco incorporeum creatum nil esse, quia quicquid factori suo comprehensibile sit incorporeum esse non possit ? » Non ita sane, respondet Claudianus : nam, sub hac ratione, ipse sibi Deus ignotus est, qui, si idcirco incorporeum nil creavit, ne creatum aliquid creatoris notitiam excederet, quum vel corporeum vel incorporeum nihil nisi præcedente creantis scientia exstiterit, quia videlicet nihil nesciens fecit, se-

[1] Joann. I, 9.
[2] Sap. V, 6.

ipsum ergo præ omnibus nescit, qui omnem quam creavit substantiam incorporaliter antecellit; ac per hoc major seipso est, qui sui capax non est. Quid istis porro absurdius? Vide quam parvo negotio veritatis calor frigentium verborum pruinas liquefaciat[1]!

Jam nunc testimoniorum penuria coactus, de quodam S. Hieronymi opere capitulum quoddam minus intelligenter deflectis, quo ait: « Globos siderum corporatos esse spiritus arbitrantur[2]. » Sed, præterquam quod omnes qui *arbitrantur* nutare non dubium est, et nihil ex se hic loquitur Hieronymus, agnoscas oportet hoc idem testimonium, non solum pro sententia tua contra nos nihil, sed adversus eamdem pro nobis plurimum valere. Nonne dignoscitur quodcunque est corporatum non esse corporeum? Corporatos, non corporeos, spiritus siderum globos appellando philosophi ab Hieronymo prædicati, eo duntaxat quod utriusque verbi discrimen notaverunt, causam nobis adjudicant. Alioquin corporeos, non corporatos, spiritus esse dixissent; quia illud est corporeum quod incorporeus

[1] De Stat. anim. I, 11.

[2] Hieronymo vereor ne falso hic a Fausto affingatur locus; reperiri enim non potuit. Philosophis vero hanc sententiam Claudianus capite proximo attribuit, qui cœlestes orbes a Spiritibus regi asserunt. Tantum abest Hieronymun de corporalitate animæ Fausto manum dedisse, ut contra Augustino assenserit, ut apud Claudianum nostrum videre est. II, 9.

spiritus animat, illud autem incorporeum quo corpus animatur[1].

Neque vero felicius aut peritius hoc insuper attulisti : « Si angeli, cœlestia corpora, etiam ad comparationem Dei immunda esse dicuntur, quid, putas, homo æstimandus est[2]? » Numquid enim hic aliud vir doctus Hieronymus dicere voluit, nisi angelorum corpora habilitate et potentia humanis longe præstare corporibus? Quanquam, hominis corpus inferiori huic ordini non semper addicetur. Terrenum nunc scilicet atque morti obnoxium gloriæ transformabitur, teste apostolo qui ait : « *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*[3]. »

Hinc de resurrectione et de visione Dei plenius ac liberius disputandi occasionem arripit Claudianus. Dei autem visio animæ incorporalitatem necessario secum trahit. Cuilibet enim corpori contemplabilis Deus non est : universalis quippe videri localiter non potest, quum Deum videre idem sit atque intelligere. Intellectum vero localem non esse vel intelligendo cognoscimus. Nam si intellectus localis est, locale erit et quod intelligitur. At si intellectus localis, et in hoc Deus, quia hoc intelligitur Deus, ergo localis

[1] Conf. de Stat. anim. III, 13.

[2] Respexit Hieronymus ad illud Job IV, 18 : « Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. »

[3] B. Pauli Epist. I Cor. XV, 44.

est Deus. Quod quum repugnet, ex corporeo et incorporeo hominem constare legitime fatendum est.

Claudianus igitur animæ humanæ incorporalitatem ex Dei incorporalitate colligit, ratus scilicet hominem Dei esse imaginem. Quod si homo Dei imago est, inter animas haud secus ac inter divinæ Trinitatis personas harmoniæ et unitatis nonnihil perstet necesse est. Legitur enim in Evangelio: «*Pater, ipsi in nobis unum sint, sicut et nos unum sumus*[1]; » et in Apostolicis Actibus: «*Credentium erat cor unum et anima una*[2]. » Non tamen reor, subjicit, multas animas ita sibi fuisse conjunctas, ut major quædam ex istis animabus anima fieret. Animæ humanæ substantia, ad ejus imitationem cujus imago est, nec in pluribus secundum aliquam molem major apparet, nec in singulis secundum aliquam molem minor. Animæ videlicet potentiæ sunt, non corpora. Corpus vero et plus habet ponderis magnum quam parvum, et validior corporum multitudo quam paucitas[3].

Quomodo autem hæc animæ corporalitati consentiant? Annuis, fateor, corpus quo subsistit anima incomparabiliter tenuius esse quam nostra sunt corpora. Accipiatur ita, si ita est. Illud tantummodo respondeas velim; quis est iste qui dicit: Habet ani-

[1] Joann. XVII, 21.
[2] Act. Apost. IV, 32.
[3] De Stat. anim. I, 15. Conf. ibid. II, 5.

ma corpus incomparabiliter tenuius quam nostra sunt corpora? Si anima hæc loquitur, ipsa ergo dicit de se anima : Tenuius est corpus animæ quam corpus meum. Quodnam autem corpus suum appellet anima, nisi illud quod ipsa est, si corpus est anima[1]? Aut igitur anima corpus est, nec recte corpus istud carnale suum appellat; aut si istud corpus carnale animæ corpus est, ipsa, ut intelligere datur, non est corpus.

Animam porro esse localem et quantitati subjacere nequicquam probare tentaveris. Ipsa enim, quæso, quo in loco sit corporis? In toto, an in parte? Si in parte, unde universum ubique corpus movet atque agitat? Si in toto, quomodo intra solius pectoris officinam, ut dicis, cogitationes suas fingit et motus exercet? At forsitan non in pectore solum est, sed etiam in capite; nec in capite tantum, sed in planta et in ossibus. Quid ad me? Ubicunque animam localiter esse credis, illic itidem localiter sapere et localiter cogitare eam fateberis. Et quoniam, si corporea, eatenus inest corpori, ut, quemadmodum aqua utrem, minore sui ipsius parte minores ejus partes impleat et majore majores; necessario sequitur et majorem illi cogitationem in pectore esse et minorem in digito : atque ita, quantam quisque partem corporis viventis absciderit, tantam quoque partem animæ vegetantis abscidit. Ac per hoc, de-

[1] Conf. de Stat. anim. II, 12 et 13.

bilis erit in anima debili vel cogitandi, vel reminiscendi vis. Namque aera, ex quo animam constare pronuntias, dividuum et secabilem esse nemo non videt. Quum enim flamus et reflamus, particulas ejus haurimus et reddimus, quas in totius corporis pastum venæ illæ capiunt quas ἀρτηρίας Græci vocant. Sed si haustus aer, juxta sententiam tuam, ad animæ pertinet pastum, quod scilicet res aeria convenienter alitur aere; inde, sicut supra dictum est, cum corpore quod vegetat recipit sectionem. Omne profecto corpus, quamlibet magnum, quamlibet parvum, secari potest; quod idcirco illi accidit, quia partibus constat. Nam quicquid partes habet, potest utique dividi, quia pars potest a parte divelli. Quapropter, si corpus est anima, recipit sectionem. Si recipit sectionem, recipit imminutionem. Si imminutionem recipit, perdita quisque vivi corporis parte, animæ quoque perdidit partem. Cum parte vero animæ perit pars memoriæ. Anima ergo, cujus imminuta substantia est, minus debet utique meminisse. Atque ideo, si localis est anima, multimoda potest sectione comminui, et comminutionis frequentia aboleri [1].

[1] De Stat. anim. I, 17. Hoc idem argumentum in tertio de Statu animæ libro repetit atque explicat Claudianus. « Sicut Deus, inquit, nequaquam minore sui parte minorem mundi partem replet, majore majorem, sed totus in parte, totus in toto est; ita anima non pro parte sui est in parte corporis. Nec alia pars animæ sentificat oculum, et alia vivificat digitum. Sed, sicut in oculo tota vivit et per oculum tota

Quibus luculentissime disputatis, omnia adversario effugia præcludere jam studet Claudianus, et novum

videt, ita et in digito tota vivit et per digitum tota sentit. Aut si fortassis sic tota in digito sentit, ut tota non sit in digito, sentit ergo tota ubi tota non est et ubi non est.» (De Stat. anim. III, 2). — Adde et hæc libri primi : « Ecce ille lævæ manus vigore valet, usum dextræ ictu, ut assolet, humoris amisit manus. Quid dicemus? Pulsa exinde localiter cessit anima? Et quo abiit ? Quo inde discessit ? Sed forte ad reliquam partem sui se contulit. Sed jam totum corpus implebat anima; nec potest adjici pleno quippiam quin superfluat. Ergo fortassis exhalandum est aliquid animæ, vel eructandum, aut quoquo modo digerendum, eo quod non integrum corpus non integram capiat animam. Hæc certe absque ambiguo consequi necesse est, si corpus est anima. » (Ibid. I, 21.)

Sic Cartesius : « Nullum corpus nisi divisibile intelligimus, contra autem nullam mentem nisi indivisibilem : neque enim possumus ullius mentis mediam partem concipere, ut possumus cujuslibet quantumvis exigui corporis ; adeo ut eorum naturæ non modo diversæ, sed etiam quodammodo contrariæ agnoscantur. » (Renati Cartesii synopsis Meditationum.) — « Nempe imprimis hic adverto magnam esse differentiam inter mentem et corpus, in eo quod corpus ex natura sua sit semper divisibile, mens autem plane indivisibilis ; nam sane quum hanc considero, sive meipsum, quatenus sum tantum res cogitans, nullas in me partes possum distinguere, sed rem plane unam et integram me esse intelligo : et quamvis toti corpori tota mens unita esse videatur, abscisso tamen pede, vel brachio, vel quavis alia corporis parte, nihil ideo de mente subductum esse cognosco ; neque etiam facultates volendi, sentiendi, intelligendi, etc., ejus partes dici possunt, quia una et eadem mens est quæ vult, quæ sentit, quæ intel-

quoddam argumentandi genus exorditur. Tres scilicet esse motus, stabilem, illocalem localemque affirmat. Stabilis motus Dei est, illocalis animæ, localis corporis. Ut vero stabilem æternumque Dei motum omittamus, temporalem illocalemque animæ motum a temporali localique corporis motu fusius discernit. Illud temporale et illocale est in anima humana, quod paulo ante superba, nunc humilis; prius læta, nunc tristis; dilexit ante, nunc odit; prius aliquid oblita, nunc meminit. Hujusmodi autem motibus anima non communicat corpori, quibus immoto nihilominus corpore movetur [1]. Tota quippe per corpus videt, et tota semel visa recolit; tota audit, et tota sonorum reminiscitur; tota odoratur, et tota odorum meminit; tota sapores sentit ac discernit; tota tangit lenia quæque et aspera; tota probat atque improbat. Si ergo tota localiter adest oculo ut videat, quomodo omnibus simul sensibus tota non desit [2]?

ligit. Contra vero nulla res corporea, sive extensa, potest a me cogitari, quam non facile in partes cogitatione dividam, atque hoc ipso illam divisibilem esse intelligam: quod unum sufficeret ad me docendum mentem a corpore omnino esse diversam; si nondum illud aliunde satis scirem. » (Cartes. Medit. VI., Conf. Princip. Philos. init.)

[1] Haud alia ratione animam Plato vim sui juris, aut quiddam, ut ait, αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν nuncupat. De leg. X. Conf. Tennem. Enchirid. 2ª edit. Vict. Cousin I, 169.

[2] De Stat. anim. I, 18.—Idem plenius et eloquentius ibid., 21. « Num quippiam, inquit, in intellectu tuo longum, latum

Ex his omnibus animam necessario ac legitime esse incorpoream concludit Claudianus, quum nondum tamen de *principali*, hoc est, ut ait, de *rationali* nostro disputaverit. Eamdem argumentorum seriem prosecutus, animam, Dei instar, non quantitati subjacere demonstrare aggreditur. Ubi enim localitas non est, quantitas esse non potest [1]. Quod si quantitatem non recipit, qualitatem nihilominus admittit : quippe quæ superba, humilis, iracunda, tranquilla, memor aut immemor vicissim habeatur. De quantitate corporis si forte quæramus,

aut altum vides? Num splendor ullius corporeæ lucis illic rutilat? Num aliquis cantilenæ modificatus et per tempus fluens canor illic insonat, aut evanescentis fragrantiæ suavitas halat, aut aliquid istic corpulentum sapit, aut aliquid molle vel durum localiter tangitur? Visus illius clarescit prudentia, tenebrescit insipientia. Auditus illius fallacia offenditur, veritate mulcetur. Illocaliter illic fragrat æquitas, fœtet iniquitas. Vanitate tabescit, virtute pinguescit; miser est contubernio stultitiæ, beatus complexu sapientiæ. Totus igitur oculus est, quia totus videt et totum quod inspicit videt: quodlibet autem corpus nec totum videtur, nec totum videt. Totus auditus est, quia totum quod audit totus audit : corpus autem nihil totum audit. Et totus odoratur, gustat ac tangit, quum hujusmodi unitas et potentia in corpore esse non possit. »

[1] Multa ad capitis hujus sententiam pertinentia habes apud Plotinum, tum aliis plurimis libris, tum in eo qui est περὶ ἀπαθείας τῶν ἀσωμάτων, et apud Augustinum in peculiari de Quantitate animæ dialogo.

nobis dicitur : Illius in quinque pedes protenditur longitudo ; latumve est duobus itidem pedibus. Num quantitas animæ istis signatur indiciis, aut in illa longum vel latum aliquid invenitur? Alioquin, tanto quisque majoris sit animæ, quanto corporis capacioris; nec unquam perexigui corporis hominem magnanimum vere prædicaremus. Est ergo in anima qualitas, non quantitas [1].

Sed in ipsa rei viscera altius descendamus, triaque illa, memoriam, consilium, voluntatem, quibus humanæ animæ constat unitas, videamus. Non immerito dicitur in memoria esse hominis pecudisque confinium. Nam et nidos ciconiæ atque hirundines post annum revisunt, et equi stabula repetunt, et canes dominos discernunt. Belluarum autem animæ, quæ, locorum imagines licet retineant, ipsius tamen substantiæ suæ scientiam non habent, in recordatione corporalium rerum, quas per corporis sensus hauserunt, necessario remanent, et, rationis expertes, non dicam supra se aliquid, sed seipsas videre non possunt. Non item de anima humana : corporea nempe per corpus, incorporea vero sine corpore

[1] Idem argumentum infra repetit Claudianus, II, 9 et III, 12. — Haud aliter fere Cartesius : « Multo magis distinctam habeo ideam mentis humanæ, quatenus est res cogitans, non extensa in longum, latum et profundum, nec aliud quid a corpore habens, quam ideam ullius rei corporeæ. » (Renat. Cartes. Medit. IV.)

cognoscit; quinetiam, relicto corpore, non semel absens exsulat. Unde doctor gentium : « *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum* [1]. »

Hæc Pauli verba nova quadam disserendi ratione ad animæ incorporalitatem deducit Claudianus. « Videtur mihi, inquit, quod nequaquam peregrinari in corpore animam diceret Apostolus, si eamdem corpus esse censeret : quia, si anima corpus est et peregrinatur in corpore, in sua ergo substantia peregrinatur, nec unquam poterit non peregrinari, quæ sine se esse non poterit. Aut igitur anima corpus est, et fefellit Apostolus ; aut, si peregrinatur in corpore, anima non est corpus [2]. »

Diutius huic animæ peregrinationi immoratus, mox ad rem eloquentius revertitur. « Quis potest, inquit, abyssos memoriæ solius intueri et antra penetrare ? In ista mihi est quicquid usquam colorum formarumque vidi, in hac quicquid verborum vel sonorum per aures accepi, in hac quicquid odorum per nares attraxi, in hac quicquid saporum diversitate cognovi, in hac quicquid tactu nuntiante discrevi ; in hac mihi reposita quodammodo sunt et grammatica quum de dialecticis dissero, et rhetorica quum

[1] B. Pauli Epist. II Cor. 5, 6 et 8.

[2] De Stat. anim. I, 21.

de geometricis, et astrologica quum de musicis, et hæc simul omnia quum de arithmeticis, juxta formas partium mundi quas video de his quas non video, adminiculante ratione, cognoscens, incorporea mundum capacitate complector [1]. »

At dicis mihi : « Non mundum memoria complecteris, sed figuram mundi. » Ex hoc quidem contra te sequitur animam non esse corpoream, quod vides ab illa corporalia corporaliter conspici non posse. Huic igitur suppositus est non loco, sed vi ac potentia quadam, oculus, qui sive spiritus, sive mens, sive intellectus, unum atque idem est, etsi diverso nomine appellatur. Sine corpore agitur anima non per locum, sed per varios affectus, et delectabiliter et pœnaliter. Corpus sine anima vel suavia vel ingrata sentire non potest. Animæ corporatæ est per corpus corporea sentire itidemque sine corpore incorporea videre. Ut enim corpus inanimum nihil sentit, ita animus sine corpore corporea non sentit. Hinc, etiam dum corpus regit ac movet, si quando in summa eademque semper attollitur, ita quodammodo corporeos deserit sensus ab iisque illocaliter abscedit, ut coram posita non videat, ut juxta sonantia non audiat, ut perlustratam legendo paginam non intelligat. Lego clare aliquid; pronuntiantem me alter intelligit, qui in id mentis oculum figit : ego vero quid legerim nescio, eo

[1] De Stat. anim. I, 22.

quod in aliud anima illocaliter intenta discessit. Quum autem ad memetipsum admonitus redeo, ego sum qui redeo, et ego sum ad quem redeo. Et mecum non fui, quia ad me per intervallum non loci sed temporis redii. Et extra me non fui, quia sine me esse non potui. Ipsa ergo istic est anima, ut per oculum quæ leguntur videat, et ipsa simul istic non est, ut quæ leguntur non intelligat.

Sed subjungis ac dicis: « Aliud est animæ status, aliud is qui de anima nascitur cogitationis affectus.» Melius fortasse dixisses illa de quibus cogitat anima, quum de se non cogitat, non esse animam, ipsam vero cogitationem non esse nisi animam : quia illud quod subjectum voluisti, eatenus scilicet animam requiescere ut nihil prorsus cogitet, a vero abhorret. Anima nempe variare cogitata potest, non cogitare non potest. Quid autem illud est cur somniare dicimur, nisi quod, ne fesso quidem corpore in somnumque resoluto, animæ vis a cogitationibus vacat? Tota ibi est, ubi cogitat, quia tota cogitat. Tu porro de animæ statu falleris, quia aliud animam, aliud esse animæ vim credis. Quod enim cogitatur accidens est, at substantia quæ cogitat[1]. Hoc similiter et de voluntate oportet agnoscas. Nam ut

[1] Item Cartesius : « Intellexi me esse rem quamdam sive substantiam, cujus tota natura sive essentia in eo tantum consistit ut cogitem. » (De Methodo, cap. IV.) « Cogitatio constituit naturam substantiæ cogitantis. » (Princip. Philos., I, 53.)

tota anima cogitatio est, ita anima tota voluntas est, et quæ vult tota vult; et quæcunque illi velle accidens est, ipsum vero velle substantia. Item et de amore aut dilectione. Si tota, ut in evangelicis libris præceptum est, diligit anima, tota absque ambiguo dilectio est.

Hæc de animæ aetibus subtilissime disputata postquam sacræ Scripturæ auctoritate confirmavit Claudianus, aliud hinc quoddam argumentum profert, et ex actuum unitate substantiæ unitatem colligit. Tum ad varios perceptionis modos transgressus, corporea per corpus, incorporea per se videre animam indicat. Ut enim de geometricis illis, linea, circulo trigonove loquamur, corporeis hæc oculis videt anima, et horum simul absque corpore imagines percipit. Quod adeo verum est, ut, dum unam ex istis in Occidente figuram aliquis formare aggreditur, eodem temporis momento similem alius in Oriente, prioris tamen ignarus, secundum eamdem rotundi et quadrati legem, formare possit. Videsne vel de iis quæ conspicatur anima quid sit visus animi [1]? Intelligisne

[1] Idem in tertio de Statu animæ libro argumentum evolvit Claudianus. « Animæ visio, inquit, intellectus est. Enimvero corporea intelligi nequeunt, sentiri ab anima per corpus queunt. Anima vero, sicut per corpus sentit, ita per se intelligit; eorumque quæ sentiuntur atque intelliguntur substantia longe diversa est. Quo fit ut anima, quia non est corpus, quæque corporea nisi per corpus sentire non possit, videre autem

intelligibile et intelligens nequaquam posse sejungi? Animadvertisne etiam quid intersit illas inter formas quas corpore cernimus et istas quas mente conspicimus? Haud aliter, exempli gratia, amicus amicum absentem videt. Sic et anima suam cogitationem, suam voluntatem, suum amorem cognoscit, quum tamen nulla cogitationis, voluntatis, amorisve corporea imago sit. Nec dissimili modo Deum anima cognoscit et investigat, quamvis nul-

per se quæ intelligenda sunt possit. Si quid enim per se videre corporeum possit, nihil illi videre promptius esset quam corporis interna, quis clauditur. Age, quæso, intende in viscera tua et in omnes admodum corporum partes istum quem dictitas animi corporalem visum, et de temetipso renuntiato tibi, nobisque dicito quibus modis quove situ triformitas cerebri coeat, jecoris massa jaceat, regula lienis hæreat, stomachi libra pendeat, cordis plectrum feriat; qui venarum tramites quæve textura, quæ nervorum origines quæve compages, quæ ossium coitio quæve compactio, quæ pulmonum cava, quæ tortuosæ botulorum enodibus, quæ ligaturis explicitæ inflexiones ac reflexiones. Quid negas super his responsa redhibere? Quia videlicet animus per se corporea nequaquam videt. Sed cur videre corporea nequaquam possit, quem non sine visu esse constat? Nemo quicquam corporeum videt, qui corporalem visum non habet. Animus autem, qui habet visum et corporale nihil videt, incorporaliter videt; et incorporaliter videre posse incorporalis est visus; et incorporeum visum nisi incorporeus non habet; et incorporaliter humanus animus videt: incorporeus igitur est animus humanus. » (De Stat. anim., III, 9.)

lam aliam nisi semet Dei imaginem eam habere sit manifestum.

Eo itaque unde profectus erat reversus, primi de Statu animæ libri finem, ut et initium, christiano quodam rore Claudianus perfundit, utpote qui Theologiæ Philosophiam ancillari debere existimat. Quum igitur rem potius attigit quam satis copiose explicavit, arbitratur se de illocalitate atque de incorporalitate animæ adversantem quantum opus erat confutasse. Neque autem omnia omnino persequi, aut singulis pro causæ excellentia inhærere, sed summa tantum, brevitatis studio, delibans rerum fastigia, præcipua duntaxat de statu vel visione rationalis animæ argumenta ante oculos proponere voluit.

In secundo protinus libro, qui et historicus rite dici potest, varias variorum de iisdem opiniones recensere incipit. Etenim, quum omnia melius contrariorum comparatione dignoscantur, errorem opponere veritati operæ pretium erat. Ut igitur veterum annales pervolvantur, a temporibus Pythagoræ vel Thaletis, semper exstiterunt philosophi, qui multimodis doctrinis, pugnantibus sententiis de eadem veritate quæsierunt. Ipsis ducibus, cognovit et ingressa est divinitatis abditæ mens humana secretum, transcensisque corporeis omnibus, decrevit eum esse creatorem, qui non solum corporeis universis præiret, sicut irrationalis anima, neque huic etiam, sicut rationalis, antecelleret, sed qui his simul omnibus longe incorporali potentia præstaret. Quod, universa rerum

serie [1] gradatim repetita, demum consecuta est scientia. Hac saltem via usque ad immutabilem æternumque conditorem assurgens, animam humanam inter extrema mediam invenit, eo quod nec cuiquam corporum similis existeret, quæ similitudo Dei esset, nec itidem æquari Deo possit, quia, etsi ab illo cœpisset, de illo tamen non esset. Incorpoream hanc esse tunc professa est, illud adjiciens, quod si anima corpus esset, et hæc eadem similitudo Dei esset, corporeus inde esset Deus; nec immerito maluit, propter creatoris similitudinem, sublimem extollere creaturam, quam, propter eamdem similitudinem, deprimere creatorem.

Ignobilium autem philosophorum plebe rejecta, Claudianus potiores quosque deligit, qui veritatem tueantur. Quorum utitur exemplis et auctoritate, non quod sibi cordi sint Pagani, sed quod adversarius, corpori nimium amicus, sola philosophici nominis mentione, *terriculamenta* quædam scientiæ profundioris ostentavit. Ex his ergo quos contra veritatem vocat vocem veritatis oportet accipiat, et *geminæ* primum *Græciæ classicum, multisonam Pythagoræorum tubam* et *lituum Platonis* exaudiat. Pythagoræ igitur, quia nihil ipse scripserit [2],

[1] Quam quidem rerum seriem in alio de anima libello aperit Claudianus, ut infra videre est.

[2] Similiter et Cicero fatetur Pythagoram ne litteram quidem reliquisse. Aurea enim, quæ habentur, carmina, ex ejus ore a discipulis excerpta, a Lyside numeris adstricta fuisse putantur.

apud discipulos quærenda sententia est. In quibus vel potissimum floruisse Philolaum reperit, qui, multis voluminibus de intelligendis rebus et quid quæque significent oppido obscure disserit, ac priusquam de animæ substantia decernat, de mensuris, ponderibus et numeris, juxta geometriam, musicam et arithmeticam mirifice disputat, atque etiam per hæc omnia mundum exstitisse arguit, illi videlicet sacræ Scripturæ loco consentiens, ubi Deo dicitur : « *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*[1]. »

Ne hac vero sententia fretus, Philolai et Judæorum libros secum conspirare adversarius contendat, aliquantisper a proposito digreditur Claudianus. O si mihi, inquit, de his loqui tecum cominus palamque proveniret, liberaliter videlicet agerem, nonnulla tibi de meo jure concederem; neque protinus de homine quærerem, sed prius poscerem formicæ et cameli animas utrumnam providentia an mole censeres. Si providentia, luce liquidius esset animæ cameli sic animam præstare formicæ, ut camelus tanto pene minor formica sit animo quanto major est corpore. Si moles tibi in istiusmodi comparatione placuisset, eadem nempe replicarem, et nihilo secius quærerem: si modus animæ corporis modus est, cur infra corporis modum camelus brutescat, et supra corporis modum formica vigeat? Si molem corporis elegisses,

[1] Sap. XI, 21.

perexiguum formicæ corpus opponerem ; sin animi vigorem, hunc eumdem nullum secundum molem esse convincerem. Hic etiam tibi maronianum illud objicerem, quod verissime de apiculis dictum est :

« *Ingentes animos angusto in pectore versant* [1]. »

Nihil magnum locale capitur exigua re locali, et parvum corpus atque ingens animus est apiculæ. Non ergo capitur corpore. Extra se igitur est. Sed extra se nihil esse potest. Est ergo totus in corpore. Sed magnum corporeum corporeo parvo non capitur, quia tam magnum replet locum quam magnum quidque locale est. Aut igitur anima illocalis est, et per hoc incorporea erit, aut secum tota non erit. Sed nihil esse nisi secum potest. Illocaliter ergo in re parva res magna est. Non igitur localis est animus; et nihil illocale corporeum : corporeus igitur non est. Quicquid autem corporeum non est, non mole censendum est. Non ergo ex magnitudine corporis animi magnitudo. Neque corporis quantitate, numero, pondere aut mensura anima æstimanda videtur, quippe quæ in parvo corpore pariter et in magno tota sit. Ad hoc, illa solummodo numerabilia aut ponderabilia sunt, quæ partibus constant. Quicquid autem partibus constat, divisibile est. Quamobrem, sublata unitate, quotalibet pars animæ anima erit, sicut quotalibet pars corporis corpus est. Quod quia sanorum neminem reor posse dicere,

[1] Virgil. Georg. IV, 83.

terendum tempus non est in earum discussione causarum, quæ suapte natura tam claræ sunt, ut potius obscurari disputatione minuta videantur[1].

Quæstionis nihilominus intima rimatus, jam nunc acriori studio perspicere laborat diligentissimus incorporalitatis patronus, quid significet illud cui consentit Philolaus : « *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* », quo potissimum testimonio usus adversarius, animabus quoque nostris corporeas quasdam indidit quantitates. « Videamus, inquit, mensura hæc, pondus hoc, numerus hic ubinam loci fuerint, quandove esse cœperint, ut ad istorum quasi exemplar Deus universa formaret? Si nihil increatum nisi creator est, hæc ergo creata sunt. Si creata sunt, non igitur Deus omnia mensuris, numeris ponderibusque disposuit, quandoquidem hæc ipsa non secundum ista formavit. Sed auctoritati divinæ obviare nefas est. Numeris ergo, ponderibus et mensuris universa creata sunt. Mensura ergo, pondus et numerus non creata sunt. Non enim secundum eadem creata sunt omnia, si et ipsa creata sunt. »

Lepidum illud sane rationis atque auctoritatis certamen subtiliter consertum subtilius dirimit Claudianus : quippe qui omnibus viribus agnoscere nitatur, non hoc esse pondus quod penditur, sed quo penditur, nec eum esse numerum qui numeratur, sed

[1] De Stat. anim. II, 3.

quo numeratur, sicut item non hoc est magnitudo quod magnum, neque hoc pulchritudo quod pulchrum. Nihil enim creatum per se magnum est; sed ex minoris comparatione magnum aliquid dicitur. Inde montem parvum dicimus et grande milium, grandem quoque muscam et bovem parvum. Quum vero ad ipsam creatricem venitur magnitudinem, quia comparari non potest[1], nec major, nec minor est. Haud aliter et de his principalibus formis quas Plato *ideas* nominat. Nam secundum eamdem quadrati legem fabricamus et quadratam tabulam et forum quadratum; et forum licet majus quadrum sit, non tamen magis quadrum est. Hinc capias oportet indicium illius non pensi ponderis, et immensurabilis mensuræ, et innumerabilis numeri, quæ tria simul æquiterna, semper individua, ubique et ubicunque tota, unus Deus sunt. Omnia corpora, quibus quicquam vel numeramus, vel pendimus, vel metimur, et numerabilia sunt, et ponderabilia, et mensurabilia. Habet certum magnitudinis modum quicquid definitum est. Proinde mundi moles universa, quoniam ex definitis est compacta corporibus, procul dubio ipsa definita est, et ideo mensurabilis. Denique, ut vocula concludam una, quemadmodum Deus numerus, mensura et pondus est; ita neque numerabilis, neque mensurabilis, neque ponderabilis est.

[1] Item Hilarius lib. I, de Trinitate : « Comparatio ad Deum terrenorum nulla est. »

Corpora vero neque numerus, neque mensura sunt, neque pondus, licet numerabilia, mensurabilia et ponderabilia sint. Duplex est ergo videndi vis animæ: videt mensuram, pondus et numerum per se; videt mensurabilia, ponderabilia et numerabilia per corpus. Per corpus igitur videt quæ sunt similia corpori, id est corporea; videt per se incorporea, quibus est ipsa similis[1].

Visione animæ et corporis retractata, mensuram, pondus et numerum, de quibus in sacris codicibus agitur, Deum ipsum esse atque ad corporea referri Claudianus satis ostendisse se existimans, an ad incorporea etiam referantur interrogat; et nodum statim expediturus, numerum, pondus et mensuram esse in corpore *visibiliter*, in anima *intellectualiter* respondet. Animæ pondus, exempli gratia, voluntas ejus est, quæ proprie magis amor dicitur, quo scilicet vel seipsam vel alia quælibet amat. Quemadmodum corporis pondus, quocunque corpus tulerit, ejus mensuras et numeros necessario secum trahit; ita animæ pondus, hoc est amor, in id quod diligit et memoriam et consilium secum cogit. Humana enim anima, divinæ instar Trinitatis, tribus individuis memoria, consilio, voluntate, quibus mensuræ, ponderis et numeri capax est, subsistit.

Quibus paulisper immoratus, ut nullas in anima corporeas esse mensuras, vel localia pondera, vel par-

[1] De Stat. anim. II, 4.

tium spatia demonstret, Claudianus ad Philolaum tandem redit, cujus insignem tunc περὶ ῥυθμῶν καὶ μέτρων librum incorporalitatis auctorem invocat. Duorum præterea Pythagoricorum simul et Tarentinorum, Archytæ et Eromenis, testimonium profert, certus scilicet neminem contradicturum, si quis hoc idem sensisse scriptisque tradidisse Archippum, Epaminondam, Aristeum, Gorgiadem, Diodorum et omnes Pythagoræ discipulos affirmaverit. Tum Platonem adducit in medium, et sibi persuadere non potest ejus animam fuisse corpoream, qui tot annis ante Dei incarnationem, ante hominis resurrectionem, ante prædicatam inter gentes summæ Trinitatis unitatem, tres in divinitate personas mirabili ingenio et inimitabili eloquio invenit atque prodidit [1]. Phædrum igitur ac Phædonem testes vocat, quid idem Plato in Hipparcho, quid in Lachete, in Protagora, in Symposio, in Alcibiade, in Gorgia, in Critone, in Timæo de anima pronuntiaverit, brevitatis gratia, missum faciens. Cujus insuper philosophorum omnium principis auctoritatem platonici Porphyrii auctoritate confirmat, qui, multis post Platonem seculis, a magistro nusquam in hac eadem causa dissensit.

[1] Conf. Clementem Alexandrinum (Stromat. I, 274, 315, 342; II, 419) qui Justino, Athenagoræ, Tatiano, Origeni, Synesio, Augustino et aliis quibusdam assensus, veterem Gentilium philosophiam Christianorum theologiæ præparatoriam (προπαιδείαν τοῦ γνωστικοῦ) reputat.

Inde a Græcis ad Romanos decedens, nova incorporalitatis adit argumenta Claudianus, ne localiter, ut ait, veritatem quæsisse videatur. Qua de re neglectis Catonum, Tullii ac Crispi sententiis, Q. Sextium tantummodo, et M. Varronem, ætatis suæ peritissimum doctissimumque, auctores adhibet. Et Zoroastre statim, Brachmanibus aut Anacharsi obiter memoratis contentus, Ecclesiæ doctores in auxilium vocat. Divina itaque pandens oracula, et ab ipsis cœlestium voluminum fontibus hauriens, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium Augustinumque [1] incorporalitatis testes producit, ne omisso quidem Eucherio, ipsimet vivente doctrina et præsentaneis, ut ait, coram disputationibus cognito [2]. Nec satis: silentium adversario, sacra cogente Scriptura, imperare nititur. Sapientiæ lumen præ se fert [3], animamque, ad imaginem Dei factam, corpoream esse non posse declarat. Dein veritatis viribus captum apostolica auctoritate conficit. Doctorem gentium secutus, incorporeum esse spiritum humanum, per quem Paulus

[1] Augustini locum ibi a Claudiano laudatum supra retulimus. Vid. pag. 24.

[2] De Nemesio Claudianum omnino tacuisse eo magis mirum videtur, quod, oblata de Eucherio occasione, obiter perstrinxerit unionem animæ et corporis, de qua uberius in tertio περὶ φύσεως ἀνθρώπου libri capite disseruit Nemesius. Hoc etiam causæ cur parum compertum habeamus an Claudiano notus fuerit Nemesius.

[3] Sap. II, 23.

absens corpore suis Corinthiis adesse potuit et usque ad tertium cœlum rapi, confirmat. Gradatim denique ab imis ad media, a mediis ad summa conscendens, Evangelii testimonio, veluti quadam clava, Fausti cervicem, strenuus dubii impugnator, contundit.

Neque mediocris videtur momenti secundus ille de Statu animæ liber, in quo, quum rationis testimonium auctoritatis testimonio corroboravit Claudianus, controversiæ quasi historiam enarrat. Mira quippe omnium doctrinarum supellectili instructus, vir ille philosophos tum gentiles, tum christianos legit ac excussit; atque inde fit, ut hoc libro splendide illustretur philosophiæ historia. Præterquam enim quod præcipuas præcipuorum de animæ incorporalitate philosophorum opiniones recenset, nonnulla nonnullorum scriptorum verba vel etiam nomina transmisit, quæ nusquam alibi hodie exstant. Quibus annumeranda scilicet Tarentinorum Philolai[1], Archytæ[2] ac Eromenis[3] et quorumdam aliorum

[1] Philolaum Pythagoricum Tarentinum facit Claudianus, quem Laertius et ex eo Suidas Crotoniatem fuisse ferunt.

[2] De Stat. anim. II, 7. Conf. Egger, *de Archytæ Tarentini Pythagorici vita, operibus et philosophia.* Paris. 1833.

[3] In quibusdam codicibus legitur Hypomne, de quo incertum an Hippon Rhegiensis vel Hippasus Metapontinus, qui a Diog. Laert., lib. VIII, inter Pythagoricos numeratur, licet, peculiari de rerum fundamento doctrina, uterque Ionicis adhæreat. Conf. Tennem. Enchirid. ed. V. Cousin, I, 102.

aliqua ex fragmentis, quæ, amissa nunc fere tota, aut saltem maxima ex parte, quinto adhuc seculo legere potuerat Claudianus. Nodosa nempe Philolai argumenta memorans, ejusdem simul opera innuit, ex quorum fonte hauriant hortatur quicunque vel curiositate, vel studio flagraverint.

Istud nimirum Claudiani volumen non animæ solum, sed ipsius philosophiæ, ea qua florebat ætate, et in Gallia præsertim romana, statum adumbrare videtur. Non tamen omnes tunc temporis apud Gallos philosophi Claudiano similes exstiterunt, quum eos contra nobis ipse exhibeat panniculos quosdam ex diversorum varia lectione concerpentes eosdemque vilibus suis veluti quibusdam stupeis adsuentes, vel cubiculariis disputationibus de sublimium indage causarum soporiferum aliquid in lectulis oscitantes [1]. Paucissimos igitur, ipso teste, æmulos habebat Claudianus, qui veteris philosophiæ et antiquarum traditionum egregius hæres, sparsa apud Paganos veritatis monumenta Christianis collecta legare, et præterita futuris divino quodam vinculo jungere nitebatur. Profanos nempe scriptores atque Ecclesiæ doctores sociare non dubitat, ea tamen lege, ut his omnibus imperet Evangelium. Jejunis illis ac exilibus posteriorum ætatum sophistis longe dissimilior, scholasticas captiones et præstigias amœnissimi sermonis leporibus temperare studet: quippe qui præ-

[1] De Stat. anim. II, 8 et 9.

cipuos Gentilium oratores et poetas æque ac philosophos calleat. Græcæ simul et latinæ linguæ peritus, Tullii et Terentii, Virgiliive aut Papinii, prout res est, vicissim mentionem facit [1]; adeo ut, quemadmodum inter utramque Paganorum et Christianorum scientiam, ita et eloquentiam inter ac philosophiam medius haberi possit. Quod in tertio præsertim de Statu animæ libro videre est : in quo, satis multis atque idoneis, quæ antea attulit, argumentis fretus, ea quæ ex opusculo Fausti supersunt indiscussa aggreditur. Quamdam scilicet rationis et fidei concordiam meditatus, Lazari mortem et resurrectionem nihil contra animæ incorporalitatem valere demonstrat; Lazari enim animam abscedendi redeundique facultatem nullam, veluti quoddam corpus, habuisse, sed eamdem corpus incorporeo vegetasse motu, et illocaliter excessisse, rursumque illocaliter redisse : item spiritaliter non corporaliter hoc aliud intelligendum, quum Lazarus in sinu Abraham et dives in inferno, chaos interposito, invicem, Evangelio teste [2], loquerentur : neque magis animæ incorporalitati ipsius Christi mortem repugnare; illocalitatem nempe Deo non adimi, quod hominem Christum in cruce discedendo deseruerit. Similiter et de angelica salutatione censendum. Namque, ut Evangelium Dei faciem angelis semper revelari

[1] De Stat. anim. I, 20; II, 3, 7, 8 et 9; III, 13.

[2] Luc. XVI, 22 sq.

dicit[1], ita et beatissimum Gabrielem cœlorum dominum Mariæ visceribus infundendum nuntiasse dicere potuit. Est enim in Gabriele et incorporeum quo Deum videat, et corpus quod vel Maria viderit, vel per quod visa fuerit Maria : unde satis patet angelos duplicem habere substantiam, corpoream incorporeamque, unam qua vel a corpore videantur vel corporaliter videant, alteram qua incorporaliter incorporeum sine fine conspiciant.

Item duabus substantiis constat homo, illocali scilicet et immortali anima, et locali et mortali corpore.

Id postremum e tota disputationis serie concludit Claudianus, cui nempe ex incorporalitate immortalitas legitime ac necessario consequatur. Sic transmisso, ut ait, errorum mari, et emenso ignorantiæ eremo, veritatis patriam atque uti terram repromissionis ingreditur. Quod unum jam, ratione et fide conciliatis, restat, sparsim dissertata collectim et velut punctatim sub mentis oculum redigit, quo facilius memoria comprehendi possint.

I. Deus incorporeus est. Imago autem Dei est humanus animus, quoniam ad similitudinem Dei factus est homo. Quum vero incorporei imago corpus esse non possit, et imago Dei sit humanus animus, incorporeus est humanus animus.

II. Quodlibet illocale pariter et incorporeum. Vita porro corporis anima est, et in corpore tam vivit

[1] Matth. XVIII, 10.

pars minima corporis quam totum corpus. Quantum ergo vitæ in toto corpore, tantum in corporis parte est; et hæc vita anima est. Nec locale est quod tam magnum in toto est quam in parte, et tam magnum in parvo quam in magno. Non igitur localis est animus. Et quicquid illocale est corporeum non est: anima igitur corpus non est.

III. Ratiocinatur anima rationalis, et animæ substantialiter inest ratiocinari. Quum autem illocalis atque ideo incorporalis sit ratio, incorporalis necessario est anima.

IV. Voluntas animæ substantia ejusdem est; et, si tota vult anima, tota voluntas est : et voluntas corpus non est : anima igitur non est corpus.

V. Memoria illocalis capacitas quædam est, quæ nec recordabilium multitudine distenditur, nec paucitate tenuatur. Animus autem incorporaliter etiam corporalium reminiscitur. Et quum meminit, totus meminit; et totus memoria est, qui meminit totus; et memoria corpus non est : non igitur corpus est animus.

VI. Corpus in ea qua tangitur parte tactum sentit. Animus autem per corporis partem totus sentit. Hujusmodi vero sensus illocalis est, et quodlibet illocale incorporeum est. Incorporeus ergo est quilibet animus.

VII. Corpus nec Deo appropinquat, nec a Deo recedit. Animus autem illocaliter et Deo appropinquat, et a Deo recedit. Corpus igitur non est animus.

VIII. Corpus per locum movetur. Animus autem per locum non movetur. Animus igitur non est corpus.

IX. Longitudo, latitudo et altitudo in corpore sunt, et quicquid hisce caret corpus non est. Hisce autem caret animus. Corpus igitur non est animus.

X. Dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, anterius et posterius in quolibet sunt corpore, in nulla autem sunt anima. Incorporea ergo est anima.

Jam habes tertii libri et totius de Statu animæ operis finem. Neque vero aliquanto latius prolixiusque hanc eamdem quæstionem Claudianus agitare non potuisset. Sed, quoad adversarius reniti valuit, eousque præliari necesse fuit. Ulterius autem progredi, et in auras tela jacere, vana contentio fuisset et virium frustratio. Dedocere noxia et utilia docere in animo habuit: non enim satis est falsa confutare, vera etiam adstruere oportet. Veniam demum a suo petit adversario, hoc scilicet contentus, quod ei neque convicium retulerit, neque rependerit maledictum.

Nec plura Claudianus. Pugnam vero Faustum redintegrasse nihil indicat, quum nullum unquam exstitisse videatur contrascriptum, nisi forte novi cujusdam duelli argumento sit libellus apud Barthium et Orthodoxographos[1] prædicto huic de Statu animæ

[1] Mamert. Claudian. de Statu animæ, libri III, ed. Barth. Cygneæ, 1655, p. 206. — Monumenta SS. Patrum ortho-

volumini annexus, quem Sidonio itidem posterius dedicatum, quia jam longius enarrata brevius tantum repetit, singulatim pervolvere, satis superque de corporeis et incorporeis disseruisse rati, omittemus[1]. Neglectis itaque cæteris, hancce Claudiani de Deo, anima et corpore veluti *scalarem* tabellam referre sufficiat.

DEUS.	Summum bonum sine qualitate.	ANIMA.	Magnum bonum cum qualitate.	CORPUS.	Bonum cum qualitate et quantitate.
	Movetur sine tempore et loco.		Movetur in tempore sine loco.		Movetur localiter et temporaliter.
	Judicat et non judicatur.		Judicat et judicatur.		Non judicat. et judicatur.

Hæc legenti cuique Claudiani quæ fuerit, tum apud æquales, tum apud posteros fama æstimare in promptu erit. Raro enim peculiaris animæ humanæ natura altius explorata ac clarius nudata est; nec desunt inter hæc acerrimæ eloquentiæ argumenta, quæ omnibus omnium ætatum philosophis maximo

doxographa. Basileæ, 1569; II, 1303. Conf. Biblioth. Patr. Paris. 1576; VI, 727.

[1] Breviorem hunc libellum Claudiano adscribere non dubitamus, licet auctor vehementissime queratur se jam omni eruditorum commercio privari, « quorum collatione de iis quæ ambigeret firmus stabilisque redderetur. » Quod quum supra memoratis Sidonii verbis contrarium esse videatur, iis tamen, ob temporis posterioritatem, convenire potest. Sidonius enim Lugduni actam adolescentiam, ut verisimile est, in animo habebat, dum Claudianus contra de ea sane loquitur ætate, qua, commota apud Gallos societate, omnis studiorum et ingeniorum cura Barbarorum terrori cedere cœperat.

honori ducerentur. Non quod subtilitate aut argutiis prorsus careat Claudianus: quædam enim passim occurrunt quæ severior quisque judex reprehendere possit. Istiusmodi sint otiosæ aliquot disceptationes de *incorporato* et *non corporato*[1], vel nonnulla minus ad rem pertinentia, ut videre est in excursu de cœlorum numero et qualitate[2]. Sic et elementorum dignitatem recolens, præeminentiam igni auctor assignat[3]. Sed hæc, si nihil ad animæ incorporalitatem, ad scientiæ saltem historiam aliquid conferunt. Neque enim philosophiæ tantum, sed et universæ doctrinarum familiæ inservit Claudianus. Nunc scilicet, rerum naturalium investigator, plantarum vitam scrutatur, et aliqua hydraulicæ artis præcepta memorat[4]. Nunc de terræ, aeris, aquæ aut ignis pondere physicus disserit, vel oculorum aciem explicat[5]. Mathematicorum alibi peritus, telluris aut siderum spatia dimetitur, ita tamen ut, suum ac proprium cuique rei vocabulum sive græce, sive latine adscribendo, morum ac studiorum linguæ utriusque symbolam jure sibi vindicet[6].

[1] De Stat. anim. II, 3.

[2] Ibid. II, 12.

[3] Ibid. I, 7 et II, 4. De elementorum dignitate et compositione conf. Plat. Timæum ejusque interpretes Chalcidium et Vict. Cousin.

[4] Ibid. I, 21.

[5] Ibid. II, 4 et III, 9.

[6] Sidon. Epist. IV, 3.

Sed, ne diutius a proposito divertamur, philosophia in supra laudato de Statu animæ tractatu maxime spirat, addito quodam religionis temperamento. Etenim præter sæpius allatam Patrum ac sacræ Scripturæ auctoritatem, nec non paræneticum dicendi genus, omnis a Deo disputatio proficiscitur; quippe quæ non de homine ad Deum ascendat, a Deo autem ad hominem, vere unicum creatoris opus[1], gradatim deveniat. Quod rite a theologia deductum, auspice philosophia, iter prosequitur Claudianus, sed ita ut longioris viæ tædia Rationis ac Fidei societate fallat. Quibus inter confabulandum nonnulla subripit, et inde peculiarem sibi quemdam habitum fingere nititur. Neque enim nova tunc temporis de statu animæ quæstio, ut ex Græcorum Romanorumque, quas auctor noster in secundo recenset libro, opinionibus constat. Pythagoricos nempe, Platonicos, Stoicos et alios apprime novit atque invocat Claudianus. Cuinam ergo philosophorum familiæ nomen ipse addixerit non inutile prorsus erit investigare, quum nemini dubium esse potest quin variæ etiam tunc philosophorum sectæ superstites in Gallia viguerint[2].

[1] « Gratias ergo, si non quantas debet, at quantas potest, creatori suo totus homo referat, qui illi, ineffabilis benignitatis largitate, essentiam cum lapidibus, vitam seminalem cum herbis et arboribus, vitam sensualem eamdemque animalem cum pecudibus, vitam rationalem cum angelis dedit. » De Stat. anim. I, 21.

[2] Hoc ex ipsis tum Claudiani, tum Sidonii verbis constare

Platonicum eum fuisse, vel ex eo duntaxat quod incorporalitatis animæ assertorem ac defensorem se

videtur. Suæ enim ætatis philosophos romanis olim philosophis comparando ridet Claudianus. « Acrius isti, inquit, ni fallor, abstrusas rerum rationes ingressi sunt, quam nonnulli nostrates, qui cubiculariis disputationibus de sublimium indage causarum aliquid soporiferum in lectulis oscitantes, perpellente copia tepentium næniarum, stolido laudatore veternosas anilium opinionum suspiciones edormiunt, innexamque visceribus animam corporis claustris includi et contineri decernunt. » De Stat. anim. II, 8. — Et supra Augustino alludens: « ..... Ut non immerito ab istis corporalibus nostri seculi Epicureis aut Cynicis spiritalis sophista dissenserit. » Ibid. II, 9. — Item apud Sidonium : « Sin autem illecebrosis deliciarum cassibus involutus, mavis, ut aiunt, Epicuri dogmatibus copulari, qui, jactura virtutis admissa, summum bonum sola corporis voluptate determinat, testor ecce majores, testor posteros nostros, huic me noxæ non esse confinem. » Epist. I, 6. — Hæc præterea de Eutropio, quem Sidonius Plotini discipulis annumerat : « Quum vos consectanei vestri Plotini dogmatibus inhærentes, ad profundum intempestivæ quietis otium Platonicorum palæstra rapuisset..... » Epist. III, 6. — Sic et ad Probum scribens : « Nunc ut Plato discipulus jam prope potior sub Socrate; sic jam tu sub Eusebio nostro inter aristotelicas categorias artifex dialecticus atticissabas. » Epist. IV, 1. — Item ad Faustum, quem Ecclesiæ Christi Platonem appellare non dubitat : « Experietur quisque conflixerit, Stoicos, Cynicos, Peripateticos, Hæresiarchas propriis armis, propriis quoque concuti machinamentis. Nam sectatores eorum christiano dogmati ac sensui si repugnaverint..... » Epist. IX, 9. Conf. Paneg. Anthem. 156 sq. et Epist. Polem. inter Carmina.

profitetur, conjici potest. Si quis autem ex ipsis Claudiani scriptis certiora velit argumenta haurire, illum Platoni de ideis assentire statim agnoscet [1]. Nec mirum sane, quum hujus philosophorum principis dialogos penitus notos habeat, et sæpius usurpet. Non solum enim græca quædam Phædonis excerpta latine reddit, et Timæum velut arcem ac Philosophiæ verticem prædicat [2]; verum etiam,

[1] « Anima conspicatur incorporeas illocaliter formas, quibus indissociabiliter juncta, sive superjecta subjectis, sive subjecta superjectis, et membrum tota movet, et formarum varietatem tota conspicit, et totum præter hoc corpus ubique sentificat.... Quum ergo æternis illis iisdemque semper formis intenta, ad exempla earumdem formarum, tetragonum, sive hexagonum, vel rotundum corporeum per corpus efficere molitur..... Quæ formarum veritas nisi rationali conspicabilis non est....» De Stat. anim. I, 18.—«Animadvertisne etiam quid intersit inter illas formas quas corpore cernimus, et illas quas mente conspicimus? Istas esse sempiternum mundum, cujus hic mundus imago sit..... » Ibid. I, 25. — « Sic et in his principalibus formis ratio par est, quas Plato ideas nominat. Nam, secundum eamdem quadrati legem, fabricamus et quadratam tabulam et forum quadratum. » Ibid. II, 4. — « Unus est exemplum principale formarum, quoniam formabilia ab illo formas capiunt qui non cepit. » Ibid. II, 7.

[2] « Platonem, prout mea opinio est, philosophorum omnium merito principem, admiratione sui (*sic*) pellectus, testem sæpe vocitavi, quamlibet quæ plura istic ejusdem legas, innumeris comparata quæ super anima disputavit, pauca admodum censeas. » Ibid.

nonnullorum Patrum instar, præviam quamdam christianæ religionis revelationem apud Platonem reperit, animadvertens, præter nativum humanæ mentis vigorem, hancce animam, quæ tam remota perscrutata est, idcirco veritatis lumine fuisse afflatam, ut in salutem generis humani Gentilium testimoniis uteremur. Imo, neglecta Porphyrii injuria, qui Christianis alioqui fuerat infensior, hunc, Platonicum nempe et ideo collegam, laudare non dubitat Claudianus [1].

Quibus e celeberrimo de Statu animæ volumine desumptis ipsam denique Sidonii auctoritatem adjiciamus, qui, in ea quam refert amici imagine, hunc a collegio complatonicorum solo habitu ac fide dissociatum depingit [2].

Platonicus igitur, non autem, ut innuit Jacob. Bruckerus [3], Peripateticus dici potest Claudianus, nisi forte de philosophandi modo tantum intelligatur. Argumentorum scilicet substantiam ex Platone, formam ex Aristotele depromit. Neque enim Aristotelem minus quam Platonem callet, utpote qui Aristotelis Categorias æque ac Platonis Dialogos in

[1] De Stat. anim. Ibid.

[2] Sidon. Epist. IV, 11. — Ad sacra christiana conversi philosophorum professioni quidam renuntiaverant et philosophorum tamen habitum, ut Aristidis, Justini, vel Athenagoræ exemplis constat, retinuerant.

[3] Jacob. Bruckeri, Hist. critic. Philosophiæ, III, 523.

medium proferat [1]. Re ipsa Platonicus, potenti et sæpius subtiliori dialectica, nec non historico secundi libri genere, Peripateticus est. Sparsas enim veritatis reliquias atque purioris philosophiæ vestigia ex omnium sectarum placitis colligere, et sic doctrinam aliquantisper eclecticam erigere tentat. « Si fors exigit, ut ait Sidonius, tenere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æsculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruvio perpendiculum; cum Thalete tempora, cum Atlante sidera, cum Zeto pondera, cum Chrysippo numeros, cum Euclide mensuras nunquam investigare desistit. Sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles [2].....»

Nulli ergo veterum, abjecta libertate, adhæret Claudianus, quum nec professione sit, nec secta philosophus. Ecclesiæ Patrum de more, tanquam ancilla Philosophia ad inserviendum dominæ Theologiæ usus, id molitur vir optimus, ut religionis christianæ veritatem contra hæreseos assultus iisdem armis defendat, et divinæ scientiæ vim corroboret. Quamobrem, scholasticæ disciplinæ primis quasi præcursoribus ac prænuntiis cum Boethio annumeran-

[1] « Ex illis Aristotelicis Categoriis.... » De Stat. anim. I, 19. Conf. I, 18 : « Sphæroides perfectus motus ad æternitatis indicium..... »

[2] Sidon. Epist. IV, 3.

dus videri potest; quippe qui, Boethii comes, conspicuam apud medii ævi doctores famam obtinuerit. Cujus rei in exemplum unus ex aliis adsit Nicolaus. « Habeo, inquit, mecum plenam sanctitatis animam et quæ fronte nomine solo præemineat, quam in auctoritatis arcem tam Scholasticorum quam Ecclesiasticorum chorus evexit. Claudianus is est, qui totam christianam, romanam, atticam bibliothecam in viridi ævo secretissimis institutionibus ebibens, et ingenii acumine, et operis mole, nobis alterum reddidit Augustinum [1]. »

Nec mirum in partem gloriæ cum Augustino venisse Claudianum, qui eidem de incorporalitate animæ assenserat. Quod Hipponensis episcopus in epistola ad Hieronymum *de Origine animæ hominis*, aut in dialogis *de Quantitate* et *de Immortalitate animæ* antea tentaverat, Viennensis presbyter clarius ac potentius peregit. Augustinus enim, qui, ut Nemesius, de animæ incorporalitate peculiariter disserere non sibi proposuerat, satis habet si summa tantum quæstionis fastigia obiter prælibet. Claudianus autem de animæ incorporalitate ex professo plenius agit. Omnibus itaque ingenii collectis viribus, disputata jam olim non solum recognoscit, sed, collato pede dimicans, quæstionem quasi a fronte aggreditur. Hinc, dum Augustini dialogi

[1] Nicolai B. Bernardi notarii Ep. 52. ap. elog. Mamert. Claudian. Ed. Casp. Barth. Cygneæ, 1655.

breviori ac pressiori oratione legentem defatigant, et Nemesii περὶ φύσεως ἀνθρώπου liber adventitiis quibusdam ac minus ad rem pertinentibus redundat, Claudiani de Statu animæ tractatus uberiori simul et concinniori eloquio refulget. Claudianus igitur, etiamsi argumentationis nimia subtilitate suam ætatem redoleat, haud mediocri tamen inter coævos laude donandus est, et non immerito forsan seculi quinti quasi jam Cartesius possit prædicari.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, postridie
Id. Jun. ann. MDCCCXL.
Facultatis Litterarum in Academia
Parisiensi decanus,
J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE,
Studiorum Inspector, procurandis Academiæ
Parisiensis rebus præpositus.

3 2044 018 711 945

WIDENER
WIDENER
JUL 26 1995
MAY 15 2005
BOOK DUE
CANCELLED